Thorn

ANGELICI DOCTORIS S. THOMÆ AQUINATIS *DE BEATISSIMÆ* VIRGINIS DEIPARÆ IMMACULATA CONCEPTIONE SENTENTIA

E multis ejus operibus studiosè collecta

A P. NICOLAO CICHOVIO
Societ. JESU Theologo.

EDITIO TERTIA.

PATAVII, MDCCXX.
Typis Jo. Baptistæ Conzatti.
Superiorum Permissu.

Reverendiſs. & Excellentiſs. D.D.

ANTONIO ZENO

ECCLESIÆ D. CANTIANI
PATAVII RECTORI,
Doctori Theologo Collegiato,
Examinatori Synodali,
Sancti Officii Inquiſitionis Conſultori,
Academico Ricovrato, & Extheologo Sereniſs. Ferdinandi Gonzagæ, Ducis Mantuani,
glorioſæ memoriæ,

Joannes Baptiſta Conzatti
S. P. D.

OPuſculum hoc pulcherrimum P. Nicolai Cichovii, Soc. Jeſu Theologi, in quo Angelici Doctoris D. Thomæ Aquinatis, de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione ſententia, ex plu-

rimis ejus Scriptis acute studioseque colligitur, &, contra quam alii senserint, eam Sanctissimæ Virgini perhonorificam fuisse firmissimis argumentis ostenditur; cum denuo typorum meorum opera in manus hominum perventurum esset, in tuo potissimum Nomine, Vir Reverendissime, atque Excellentissime, apparere volui, ut simul veteris meæ erga te observantiæ signum aliquod non contemnendum exstaret, maximamque a te gratiam inirem, quem tanti Mysterii studiosissimum non solum Patavini cives, verum etiam plerique exterorum, & agnoscunt, & uno ore fatentur.

Cum enim a Patribus Soc. Jesu iis disciplinis imbuerere, quibus puerilis ætas ad humanitatem informari solet, eodem tempore mirifica in Dei Matrem pietate exardere cœpisti, ut citius vitam

amit-

amittere tecum ipse decerneres, quam eorum sententiæ umquam acquiescere, qui eam communi generis humani labi obnoxiam, dum conciperetur, affirmare non vererentur: cum vero ad sublimiores solidioresque disciplinas, tandemque ad Sacram Theologiam, facem prælucentibus e Franciscana Familia Minorum Conventualium Viris Eruditissimis, animum applicuisses, novo tamquam stimulo excitatus, ceteros etiam ad hanc militiam & privatis colloquiis, & publicis concionibus adjungi oportere censuisti. Accidit autem divina quadam providentia, ut ejus Ecclesiæ administrandæ tibi cura demandaretur, in qua Majus Altare Immaculatæ Deiparæ Virginis Conceptioni dicatum esset. Quapropter tui officii esse existimasti, novam aliquam rationem excogitare, qua Patavino-

rum animis peculiare hoc erga Christi Genitricem obsequium altius in dies figeretur, nec intra vitæ tuæ terminos (quam tibi Deus Optimus Maximus, ut mereris, & diuturnam, & felicem largiri velit) tantummodo consisteret, sed ad posteritatem usque, serosque nepotes tuo conatu propagaretur. Tandem, ut ingeniosa res amor est, Sodalitium illud religiosissimum, sub Auspiciis Beatæ Virginis sine labe originali Conceptæ in Ecclesia tua Divi Cantiani, Augustissimo Senatu Veneto, hujusque Urbis Antistite Eminentissimo benignè annuentibus probantibusque, instituisti, quod tres viri supra sexaginta, parque numerus piarum mulierum componerent; cui certatim civitatis primores, matronæ lectissimæ, nonnullæ etiam sacræ virgines nomina dedere. Eum autem numerum Sodalium servare voluisti, ut scilicet

an-

annorum memoria recoleretur, quos, juxta probabiliorem Sanctorum Patrum Doctorumque sententiam, inter mortales Deipara vixisse perhibetur. Quem piorum hominum cœtum Archiconfraternitati (ut vocant) quæ Romæ est in Templo D. Laurentii, & Damasi, maximo studio, adscribendum curasti, idque a Summi Pontificis Clementia, datis etiam super ea re literis, facillime obtinuisti. Non alio porro consilio hæc omnia molitus es, quam ut nimirum esset e Sodalium liberalitate, unde Solemnitas Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ quotannis in Ecclesia tua Pridie Idus Decembris magnifice celebraretur; quod Festum jam ab annis pluribus, magna civium frequentia, symphonia, sacraque concione, quam tu ipse nullis laboribus umquam defessus, undecies jam habuisti, non sine ingenti bonorum

omnium lætitia peragi cœptum est. Quamquam igitur hujus tui effusissimi erga Dei Matrem obsequii uberrima, & numquam interitura præmia apud Superos sis aliquando laturus; hunc tamen Libellum mole quidem exiguum, sed argumenti nobilitate, doctrinæque pondere, dignissimum qui legatur ab omnibus, & in pretio habeatur, loco munusculi accipere, &, qua solitus es comitate, morumque suavitate singulari, mihi, a quo plurimum coleris, rebusque meis omnibus favere ne graveris. Vale.

Patavii ex Typographia mea, Pridie Kal. Februarii. MDCCXX.

Illustrissimo, & Excellentissimo D.D.

WOLFFGANGO RUDOLPHO

Comiti ab & in Saurau, L. B. in Ligist, Fridstein & Vvolckenstein, &c.

Domino in Hartberg, Neiberg, Schvvanberg, Crembs, Schiechlaiten, Bremstetten & Gullenpuchel, &c. S. C. M. arcano Consiliario: necnon inclyti Ducatus Styriæ supremo & hæreditario Mareschallo, veram, & perpetuam felicitatem.

ITerato in lucem publicam abiturus libellus iste, tuo sese inscribit nomini, & suo debito, & tuo merito Excellentissime Domine Comes, &c. Materies illius Virgo est sine labe Originali Concepta; finis

laboris mei, ex varia, & laborioſa textuum Angelici Doctoris combinatione, eundem à nota contradictionis (quaſi verò aliud in libris ſententiarum, aliud in ſumma docuiſſet) quàm potui ſolidiſſimè vindicare, atque Immaculatæ Conceptionis aſſertorem ſemper fuiſſe, ex ipſiuſmet S. Doctoris ſcriptis Angelicis palàm facere. Forſitan operæ tam piæ, quàm veræ, illud unum ſaltem pretium aſſecuturus ut ad minùs omnis æqui, bonique arbiter judicare debeat, id ſaltem eſse probaliſſimum, adeoque communibus Chriſtiani orbis votis ſubſcribere, & cum piè ſentientibus conſentire poſſe etiam eos, qui jurarunt in verba ſui Sanctiſſimi Magiſtri. Quod ſi auſpiciis tuis, & liberalitate labor meus effecerit, non minus tibi Beatiſſimam Virginem ſine labe Originali Conceptam demereberis, quàm tibi non ante multos annos demeritus eandem es, quando illius miraculoſam ſtatuam Lancovvicenſem, per trecentos facilè annos, ſolo miraculorum lumine coruſcam in obſcuri cæterùm muri angulo locatam, inſigni prorſùs pompa in eam aram eduxiſti,

que

quæ & munificentiæ tuæ, & pietatis insigne foret monumentum. Nec poterit non approbare orbis, quod cœli, ipsis etiam nascentis munificentiæ tuæ initiis, ausim dicere, miraculo probavere, quando eadem adhuc die malevolorum quorundam, pietatem hanc tuam improbantium excitata vindex Dei ira, cum grandine latè circumvastaret omnia, ad tuos fines, pallio nimirum Virginis tectos, transire ausa non fuerit, sed ibidem, quasi a Dei manu signata linea substiterit repercussa, scilicet & tua in Divam Virginem pietate, & Virginis in te perennaturo favore. Bonum omen Excellentissime Domine Comes, expertus es te placuisse, argumentum Marianarum gratiarum, constantisque tutelæ accepisti tunc, in tuis: confide porro non minoris curæ futurum te, quam tua, & quando novorum beneficiorum, imo & amorum, additæ novæ, & cumulatæ gratiæ sunt semina, en has testes literas, quæ tuo nomini inscriptæ cum Virginis te Mecœnate & doceant, & loquantur honores, simul fidem faciunt, & cœlos, &

quicquid cœlestium favorum est tuo sub ære esse. Quod dum ominor & voveo, simul me gratiæ tuæ humillimè commendo.

Tuæ Illustrissimæ & Excellentissimæ Dominationis.

Minimus in Christo servus
Nicolaus Cichovius.

PRÆ-

PRÆLOQUIUM

Ad Lectorem.

ANgelicum Doctorem, Piè sentientium de Immaculata Beatissimæ DEI Matris Conceptione, dogmatibus contradixisse; adeo quibusdam certum est: ut qui in contrarium vel hiscere velit, in meridiana luce tenebras quærere censeatur. Id quod tamen facere non potuit, quin multi è variis Religiosis Ordinibus, nec pauci ex ipsa Illustrissima PP. Prædicatorum familia, à R. P. Hugone Cavello, in 3. Sent. Scoti, & P. Laurentio à Ponte in Commentario in Sapientiam, recensiti, ab hoc fulgentissimo S. Theologiæ Sole, notam hanc avertere conati sint: eo saltem operæ pretio; ut & suam in sanctum Doctorem pietatem orbi testati sint: & porrò plurium ad ejusdem laboris communionem exacuerint animos, calamosque: Eis equidem debeo: ut mihi, (quem jam olim, ad Angelicum Doctorem singulari religione colendum, ab ineunte ætate, DEUS excitaverat;) crescentibus annis edocto; quantum lucis, Theologicæ & Philosophicæ scholæ, debeant

beant huic soli: plurimum accederet animi, ad petendum à Deo lumen: quo illustrante, diuturnam possem eluctari difficultatem: quomodo nimirum possibile sit, ut Angelicus Doctor, cujus in Beatissimam DEI Matrem, tenerrimus semper summèque religiosus fuisset affectus, Piè sentientibus de Purissimo ejus Conceptu contradixerit: aut certè, quomodo nec Purissimo Deiparæ Conceptui contradixerit; nec aliquid Christianæ in Deiparam Pietati dissonum docuerit; qui eam in peccato Originali conceptam sæpiùs professus sit. Ad quod ferventiùs agendum magnopere accensus sum, cùm Cracoviæ in publica quadam disputatione, & frequentissimo Doctorum hominum consessu, audissem hæc verba, à quodam liberiùs dicta: S. Thomæ aliquot sententias, rejecisse Ecclesiam. *Grave omnibus S. Thomæ discipulis, dictum id inflixit vulnus: mihi verò acutiores admovit stimulos, ad intensiùs, Incarnatæ Sapientiæ supplicandum: aliquem ut mihi suggereret modum; quo ab Angelico Doctore, macula, quam ei (ut semper censui) innocenti, exprobari audiebam, propulsari possit supplicanti, id tandem Divino afflante spiritu, venit in mentem: verba S. Thomæ, secius quàm oporteret intellecta, facere, ut is,*

quem

quem CHRISTUS *Dominus bene omnia de se scripsisse testatus sit, aliquid de sua Matre scripsisse censeatur; quod Piæ de ejus Conceptu Sententiæ adverseтur: atque ideo non hærendum esse in verborum cortice: sed eorum nucleum scrutandum: eque ipsius doctissimis lucubrationibus discendum: an verba hæc;* Concipi sine peccato Originali; *hoc ipsum temporibus ejus significaverint, quod nunc significant. Ergo aliquot annos, cùm Sacris S. Doctoris voluminibus evolvendis impendissem; hæc tandem assecutus sum: aut veriùs assecutus mihi videor.*

Primùm: Angelicum Doctorem, nullibi ne verbulo quidem impugnasse, Deiparæ, à labe Originali præservationem.

Secundùm: Angelicum Doctorem, disertissimè, locis infra citandis, docuisse: Deiparæ puritatem adeo omnis maculæ Originalis & actualis fuisse expertem, ut quoad recessum à malo per hoc solùm à puritatis Divinæ excellentia defecerit, quòd aliquomodo peccare potuerit.

Tertiùm: Concipi sine Originali peccato, *S. Thomæ temporibus longè aliud ab eo, quod nunc per ea verba intelligimus, significasse. Nam nunc,* Concipi sine labe Originali Deiparam; *est: Eam, sanctificante gratia, dignissimæ*

ejus

ejus animæ, in primo suæ unionis instanti, à Filio Redemptore collata, ab infectione peccati ex Adæ fluentis demerito, præservari. Temporibus verò S. Thomæ, Concipi sine peccato Originali, *significabat, aliquem ex vi, vel extraordinariæ Originis; vel aversæ omnis à Concepto Corpore maculæ; vel sanctitatis parentum, tam quoad esse naturæ, quàm quoad esse personæ sanctificatorum, independenter à meritis CHRISTI, eam in se à suis parentibus transfusam habere sanctitatem; quàm singuli parentes in suam transfudissent prolem, si Adam justitiam Originalem, in se, ceu in quodam gazophilacio, toti naturæ humanæ depositam, sibi suisque posteris constanti Divinæ voluntatis executione conservasset: neque jus ejus naturali propagatione transfundendæ in posteros, sibi suæque posteritati perdidisset.*

Quæ tria, an rectè è S. Doctoris lectione collegerim: videbunt ejusdem S. Doctoris discipuli; quaque sunt in eum pietate, æqua trutina expendent; quæ in hoc conjeci opusculum: non alio fine editum in lucem, quàm ut sublimia ingenia, & in Angelici Doctoris palæstra exercitatiora, ad solidiores sui sancti Præceptoris Vindicias excitentur. Scintillam duro è silice

ex-

excussam porrigo: quam si quis benigni ore exceptam sinu, & propitiis nutritam alimentis, in ampliorem flammam educare dignatus fuerit; atque ex hujusmodi occasione, ad Immaculatum Deiparæ Conceptum, Doctorisque Angelici innocentiam, acutioribus tuendam armis, adjecerit animum; summo me votorum apice constitutum arbitrabor: maximè verò, si aliquis præstiterit, ut & à Purissima DEI MATRE *primigeniæ noxæ, & à S. Thoma Deiparæ minùs honoratæ maculas abesse, orbi innotescat; nihilque amplius relinquatur, quod moretur definitionem Christiano orbi desideratissimam: non temerè persuaso; quòd sub felicissimis Sanctissimi, & Beatissimi Domini nostri Innocentii X. auspiciis, optatissimoque Symbolo Innocentis Columbæ, Europæ diuturno bellorum Cataclysmo fluctuanti, Oleagina porrecta virgula evangelizantis pacem, evangelizantis bona: moderator Ecclesiæ* CHRISTUS *finem sit bellis omnibus impositurus; auream que mundo redditurus pacem; cùm primùm, Suam dilectissimam Matrem, consono omnium Christianorum calculo, à noxæ originalis macula viderit absolutam. Id quod futurum brevi, sperare nos jubet, etiam Theologorum Sacri Ordinis Prædicatorum as-*

sen-

sensus: quorum unius, Rx. P. F. Matthiæ Aquarii in Almo Studio Neapolitano, Regii, & publici Metaphysici, testimonium adfero. Opinio, *inquit in Capr. 3. sent. d. 3.)* quæ tenet Beatissimam DEI Genitricem, Virginem MARIAM ab omni Originalis peccati contagio, fuisse penitus præservatam, est magis Pia: Devotioni populi accommodata: & conformis rationi Naturali; quia DEUS est agens perfectum: Et morali, quia DEUS magis inclinatur ad amandum, quàm odiendum: Et politicæ; quia DEUS est legislator; & sic respectu suæ Matris potuit dispensare in lege: Et Theologicæ; quia DEUS instituit circumcisionem, & tamen suspendit eam in deserto: & quia producit effectum sibi gratum: puritas autem Suæ MATRIS est sibi gratissima. Ergo præservavit eam ab omni macula. *Hactenus hic Doctissimus, & Beatissimæ DEIPARÆ honoris studiosissimus Theologus.*

FA-

FACULTAS

R. Patris Præpositi Provincialis

GASPAR DRUZBICKI

Societ. JESU per Poloniam Præpositus Provincialis.

CUm gravissimi quinque Societatis JESU Theologi, ad hoc specialiter deputati, ab A.R.P.N. Vincentio Garrafa Præposito Nostro Generali, Angelici Doctoris de Immaculato B. VIRGINIS DEIPARÆ Conceptu sententiam à P. Nicolao Cichovio ejusdem Societatis collectam, legerint: approbarintque: data mihi potestate ab A. R. P. N. Præposito Generali Francisco Piccolomineo permitto, ut typis mandetur: si videbitur his, ad quos pertinet. Concessionis fidem facio manu mea, & Officii Sigillo, Calissii 1. Junii A. D. 1651.

Gaspar Druzbicki.

AP-

APPROBATIO.

SEntentia ANGELICI DOCTORIS de Immaculato VIRGINIS DEIPARÆ Conceptu, à R. P. Nicolao Cichovio Societatis JESU Theologo collecta, à nobis visa, cum sit Orthodoxæ fidei conformis, lucem videat: & prælo mandetur.

Andreas Svvinarski, Canonicus Posnan. Ploc. S.R.M.Secr. & Officialis Posnan. Generalis.

AP-

APPROBATIO.

DD. Doctorum Facultatis Theologicæ in Universitate Viennensi.

OPus, *quod inscribitur* : Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis de Beatissimæ Virginis DEIPARÆ Immaculata Conceptione sententia, è multis ejus operibus studiosè collecta & edita à R. P. Nicolao Cichovio Societ. JESU Theologo; *jam ante hac Posnaniæ typis mandatum, accuratè perlegi; censeoque opus esse & eruditum, & solidis nixum fundamentis, quodque ad fovendam fidelium pietatem, erga Immaculatam Beatissimæ Virginis Conceptionem, sit profuturum; ideoque dignum omnino, quod secunda editione in publicum evadat. Ita censeo.*

Nicolaus Avancinus
Soc. JESU SS. Th. D.

APPROBATIO.

Authorem hujus libri, pro sua in S. Angelicum Doctorem pietate, ejusdem S. Doctoris mentem in controversia de Immaculata B.V. Conceptione, ex varia & laboriosa diversorum textuum combinatione eruit, & Immaculatæ Conceptionis assertorem fuisse solidissimè probat, ideoque illud cum magna voluptate legi, & secundo prælo dignissimum judico.

Otto Schimonsky Soc. JESU,
SS. Th. D. & Professor.

APPROBATIO.

Cum duo Admodum Reverendi & Clarissimi Doctores de facultate Theologica, & Professores ejusdem, opus de Beatissimæ Virginis Deiparæ Immaculata Conceptione à R. P. Nicolao Cichovio conscriptum reviderint & approbaverint, ac demum imprimi posse judicaverint. Ego quoque infrascriptus pro munere meo, quo fungor p. t. illud ipsum opus approbo, & demum typis mandari posse censeo pro bono publico & majori honore B. Virginis semper intactæ. Ex Domo Professa 13. Septembris. 1658.

Matthias Bastianschits. SS. Th. Doct. Facultatis Theologicæ in Viennensi Universitate Senior, nec non p. t. Prodec.

Reimprimatur.

Casparus Joannes Piripach, p.t. Almæ Univers. Vien. Rect.

NOI

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di revisione, & approbazione del P. F. Ambrosio Lisotti Inquisitore di Padova nel Libro Intitolato *Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis de Beatissimæ Virginis Deiparæ Immaculata Conceptione Sententia &c.*, non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro; niente contro Prencipi, & buoni costumi, concedemo Licenza a Gio: Battista Conzatti Stampatore in Padova, che possi esser stampato, osservando gl'ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, & di Padoa.

Dat. 9. Gennaro 1719.

(Gio: Francesco Morosini K. Reff.
(Alvise Pisani K. Pr. Reff.
(

Agostino Gadaldini Segret.

DISTINCTIO PRIMA.

Ostenditur, sanctum Doctorem, partim explicitè, partim implicitè docuisse; Beatissimam Virginem Deiparam, fuisse immunem à peccato Originali: sive, quod nunc idem est, esse Immaculatè conceptam.

CAPUT PRIMUM.

Ostenditur, S. Doctor, explicitè professus Deiparæ à peccato Originali immunitatem.

VIRGINEM Beatissimam à peccato Originali fuisse immunem, agnovit: & clarè testatus est S. Doctor in 1. Sent. d. 44. q. 1. a. 3. ad 3. ubi postquam a. 1. proposuisset; an Deus possit aliquid melius facere quàm fecit; (quod ipsum proponit, 1. p. q. 25. a. 6.) in particulari, q. 3. quærit: an Deus potuerit facere Humanitatem Christi meliorem,

quàm ſit: & in 3.argumento addit: *Videtur quod & Beatiſſima Virgine, nihil melius poſſet facere Deus: quia hæc ſecundùm S.Anſelmum, debuit ea puritate nitere, qua ſub Deo major non poteſt intelligi*. Reſpondet ad 3.*Dicendum: quòd puritas intenditur per receſſum à contrario: & ideo poteſt aliquid creatum inveniri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis: ſi nulla contagione peccati inquinatum ſit: & talis fuit puritas Beatiſſimæ Virginis: quæ à peccato originali & actuali immunis fuit: fuit tamen ſub Deo, quatenus erat in ea potentia ad peccandum*. Hoc ferè ipſum repetit: eodem Sent. libro.d. 17.q.2. a. 4. Ubi cum propoſuiſſet; an augmentum Charitatis habeat aliquem terminum; & negaſſet; ultimò hoc objicit argumentum. *B.Virgo ea puritate nituit, qua ſub Deo major nequit intelligi. Ergo neque charitas ejus augeri potuit.* Reſpondet negando conſequentiam: conceſſo Antecedente. *Quia* (inquit) *in B. Virgine fuit depuratio ab omni peccato: ideo pervenit ad Summum puritatis ſub Deo: in quo non eſt aliqua potentia deficiendi: quæ eſt in qualibet creatura, quantum in ſe eſt, &c.* Idem planè habet in ſecundo Scripto: l.1.d.44.q.un. a.2.ubi ita ſecundò argumentatur. *Quò aliquid eſt purius eo*

me.

melius. sed, juxta S. Anselmum, decuit, ut B. Virgo summa sub Deo puritate niteret. Ergo Deus non potest facere ea aliquid melius. Respondet. *Ad secundum dicitur: quòd, purius dicitur aliquid per recessum à termino: melius per accessum ad terminum: illud ergo quod omnino recedit ab impuritate culpa; est ita purum, quòd nihil eo potest esse purius: non tamen sequitur; quòd eo nihil posset esset melius; nisi acciperemus puritatem ab omni defectu & imperfectione: sic autem non loquitur Anselmus.* Hæc, evidentia licet testimonia, obscurare & tollere conantur aliqui: etiam primum: dicentes, eo loco. S. Thomam locutum esse; de puritate Deiparæ, post ejus in utero sanctificationem: quod ipsum posset dici de quolibet sanctificato, in utero: vel per baptismum: aut certè egisse ibi de puritate Deiparæ, quam habuit in Conceptione activa Christi, non in Conceptione sua passiva. Adducunt pro his suis conjecturis aliquot rationes. 1. est: quia ibi dicit: puritatem Matris Christi, hoc fuisse inferiorem Divina: quod habuerit potentiam ad peccandum, non actualiter; quia hanc potentiam (*inquit Bergomensis*) excludit à Deipara S. Doctor q. 24. de Verit. a. 9. ad 2. Meliùs eum

citasset in 3.d.3. q.1.a.2. ql.3. ad secundum. Ergo ad peccandum originaliter. 2. quia non dicit, semper fuisse à peccato originali immunem. 3. quia ibi exponit authoritatem S. Anselmi, qui ubique expressè tenuit, sicut omnes Sancti, Beatam Dei Matrem, conceptam esse in peccato originali.

Sed nihil agunt. Primam solutionem admittere nemo potest, nisi cum gravi injuria, & ludibrio S. Doctoris. Nam, si ad quæstionem institutam: *An aliquid purius meliusvè dari Deipara possit*; summa excitata expectatione, specialissimæ alicujus prærogativæ, Deiparæ adscribendæ; respondebitur; nihil ea posse dari purius, ut neque infantibus baptizatis; meritò ea deridebitur responsio: eritque aliquis, qui hic oggerat illud Poetæ.

-- -- -- -- *Amphora cœpit*
Institui currente rota cur urceus exit?

Hæccine illa Deiparæ prærogativa est, de qua in 1. sent. & in 1. Parte quæstio instituitur, per quam dicitur, ibidem infinitatem quandam assecuta; hæc, inquam, tanta prærogativa, plus nihil dicit; quàm quòd habeat eam puritatem; quam habet quilibet infans baptizatus etiam Luteranus? hoc est esse summè

mè sub Deo purum, infantis baptizati adæquare puritatem? Non erat certè; quòd S. Doctor contra Conclusionem, qua concludebat, nihil esse in rebus creatis, quo Deus non possit facere melius, peteret instantiam ex puritate Deiparæ: cùm æquè, atque illa fuerint puri omnes infantes baptizati: omnes peccatores post obtentam peccatorum veniam: denique omnes Beati: quorum nemo cœlos ingreditur, nisi à peccato originali & actuali immunis. Non erat, quòd propter Maternitatem. Dei, tantopere extolleret Deiparæ puritatem, si quælibet fœmina, quantumcunque peccatrix fuerit; post peractam pœnitentiam, æquè sit à peccato originali & actuali immunis, atque fuit Deipara. Credere quis potest S. Doctorem puritatem Deiparæ non solùm Angelicæ puritati subjecisse; sed etiam infantili exæquasse? dicit is 3.p. q.27. a.1. Deiparam teste Gabriele *Archangelo*, *Gratia plenam omnibus Sanctis majora privilegia accepisse*: quomodo verò omnibus sanctis majora privilegia acceperit: cujus puritas, ne pueri quidem Lutherani post baptismum defuncti, puritatem superaverit?

Jam verò cùm citata q.17. a.4. dicit:

Deiparam perveniſſe ad Summum Puritatis ſub Deo, ita ut ab exæquatione puritatis Divinæ, ſola impediatur potentia deficiendi, quæ eſt in qualibet creatura: quis eum interpretari audeat in ſenſu ſolutionis primæ? Dicat quis, ſi poteſt; omnes infantes baptizatos; imò omnes peccatores & peccatrices, poſt obtentam per pœnitentiam peccatorum veniam, veniſſe ad Summum Puritatis ſub Deo: ſeu *habere puritatem qua ſub Deo nequeat intelligi major*: dicat; omnibus infantibus baptiſatis, ad puritatis Divinæ æqualitatem, id ſolùm deeſſe; quòd habeant potentiam deficiendi: dicat, omnes fæmellas, antequam peccent actualiter, tantam habere puritatem; quanta ſufficiat, & requiratur, ad dignitatem Maternitatis Dei: ſeu (quod idem eſt) quantam in B. Virgine eſſe debuiſſe, agnovit S. Doctor: ut idonea fieret Mater Dei: Ego profectò adduci nuuquam patiar: ut credam S. Doctorem, hanc ſolam prærogativam, hìc conceſſiſſe Deiparæ: quæ ei cum multis millionibus hominum, communis ſit.

Addo: utriuſque argumenti ſolutionem à S.D. allatam, falſam fore; admiſſa primæ ſolutionis interpretatione,

quo-

quomodo enim puritas B. Virginis erit proxima Divinæ puritati? & quomodo perveniet ad summum puritatis sub Deo? quomodo nihil ea purius erit in rebus creatis? si Ea omnes boni Angeli, & primi homines in statu innocentiæ reperiantur fuisse puriores? Major enim, dubio procul, Divinæque puritati vicinior est, puritas: quæ nullam unquam est maculam passa: quàm quæ passa est tantam; quæ sufficiat ad hoc, ut odibilem, & inimicam Deo reddat animam.

Neque rationes adductæ efficaces sunt. Non Prima: nam ut concedam ex mente S. Doctoris, doceri; fuisse in B. Virgine potentiam, seu (ut ipse 3. p. q. 27. a. 2. c. loquitur:) obnoxietatem peccandi originaliter: quis tamen concedet, ex potentia, bene inferri actum? Mala hæc Consequentia est. In S. Michaele fuit potentia peccandi mortaliter: Ergo peccavit: Mala igitur & hæc erit. In Sanctissima Dei Matre fuit potentia peccandi originaliter. Ergo peccavit originaliter. Denique ex his ipsis verbis S. Doctoris, solidè oonfirmatur: eum, locis citatis, perpetuam Deiparæ à labe originali immunitatem, expresè professum esse. Sic enim ar-

guo. Quo ſolo defectu Deiparæ puritatem, docet S.Doctor, eſſe Divina puritate, inferiorem; hic ſolus ei, ex mente S. Doctoris, tribuendus eſt. (Exceptio enim ejus, non debet extendi ultra hoc, quod ab eo ipſo excipitur:) Sola potentia ad peccandum originaliter, (fatente Bergomenſi,& inde argumentante,) docet S.D. puritatem Deiparæ eſſe puritate Divina inferiorem. Ergo Deiparæ, ſola potentia ad peccandum originaliter, ex mente S.Doctoris, tribuenda eſt. Confirmatur. Si hæc potentia deficiendi, reſtringetur ad peccandum actualiter, ſequetur omnes infantes baptiſatos fore Deipara puriores, utpote non ſolùm æquè, atque illa, à peccato originali & actuali immunes, ſed etiam non habentes potentiam peccandi: quam Deiparæ tribuit S.Doctor. Baptiſati enim non ſolùm, non habent amplius potentiam ad peccandum originaliter: ſed neque ad peccandum actualiter: quamdiu non habēt ſufficientem rationis uſum. Neque obſtat: quòd S. Doctor non dicat Deiparam ſemper fuiſſe immunem à peccato originali: nam neque dicit ſemper fuiſse immunem à peccato actuali: ex quo tamen nemo intulerit, S. Doctorem cenſuiſse,

quod

quod B. Virgo non ſemper fuerit immunis à peccato áctuaii. Ex quo etiam noſtra aſſertio confirmatur. His enim locis tam univerſaliter, dicit, S. Doctor. Deiparam fuiſſe liberam à peccato originali quàm ab actuali. Sed ab actuali dicit ſemper fuiſſe immunem: Ergo & ab originali; Præterea: Utroque loco, tantam puritatem Deiparæ S. Doctor tribuit, (ut non per aliquam culpam mortiferam aliquando contractam,) ſed per hoc ſolum, dicat eam, deficere ab adæquatione puritatis Divinæ; quòd habuerit potentiam ad peccandum: vel potentiam deficiendi. Ergo contra mentem ejus immunitas perpetua Deiparæ, hic aſſerta; ad peccatum actuale reſtringitur: cùm nulla alia puritatis Deiparæ limitatio, hic afferatur, niſi potentia deficiendi. Exceptio autem firmat regulam.

Tertium argumenrum, & malè infert: & falſum aſſumit. Malè infert: quia ſic argumentatur. S. Anſelmus cenſebat Deiparam fuiſſe conceptam in peccato originali. Ergo & S. Doctor, eum explicans. Cur enim, non potiùs inferatur oppoſitum? ſic, v. g. Hoc S. Anſelmus, de puritate cenſuit Deiparæ, quod eum cenſuiſſe docet S. Do-

ctor, in explicatione ejus. At S.D. docet eum censuisse; Deiparam fuisse immunem à peccato originali & actuali: utpote fulgentem tanta puritate, qua sub Deo nequeat intelligi major. Ergo hoc ipsum S. Anselmus censuit. Falsum verò assumit: ut jam olim in 3. Sent. probavit: Antiquissimæ Patrum Carmelitarum Familiæ Doctor; P. Joannes de Bacone: multis ex S. Anselmo testimoniis adductis. pro Immaculata Deiparæ Conceptione: & alii, qui libros de ea Materia scripserunt: quos nunc non vacat describere. Videat qui volet, Patrem Salasar, & Granadum, & Hugonem Cavellum in 3. Sent. nunc obiter adverto: verba quæ ex S. Anselmo contra Piam Sententiam adduci solent, non esse S. Anselmi: sed Collocutoris Bosii, ut jam pridem animadversum est. Hinc etiam ipsi gravissimi hostes nostri Centuriatores; Centuria 11. c. 4. S. Anselmum carpunt: eò quòd omnes in peccato esse mortuos, excepta Dei Genitrice, asserat.

Secunda solutio, non potest applicari verbis S. Doctoris: quia juxta eam, falsum continerent: non enim puritas Deiparæ per solam defectibilatem à puritate Divina deficeret: sed & per

hoc;

hoc ; quòd maculam in ſua animatione contraxiſſet, omnibus venialibus graviorem. Confirmatur: quia, ex hac ſolutione, ſequeretur S. Doctorem ceu peculiare privilegium tribuere Deiparæ; quòd modò primùm in Conceptione Chriſti Domini fuerit à peccato originali & actuali immunis, quaſi ante illud tempus ab eis immunis non fuerit: quod eſt contra fidem. Sit igitur concluſum: S. Doctorem locis citatis expreſsè profeſſum eſſe, perpetuam Deiparæ à labe originali & actuali immunitatem: utpote cujus à peccato puritas, ſola potentia deficiendi, Divina ſit puritate inferior.

CAPUT SECUNDUM.

Oſtenditur: quòd Angelicus Doctor, perpetuam Deiparæ à labe originali immunitatem, implicitè docuerit; ex applicatione principiorum, & dogmatum ejus.

I. S. Doctor 3. p. q. 27. a. 2. in ſed con. allatis his S. Scripturæ verbis; Exodi ultimo; *Poſtquam cuncta perfecta ſunt, operuit nubes tabernaculum teſtimonii, & gloria Domini implevit illud*; ita

concludit. *Ergo Beata Virgo, non fuit sanctificata nisi postquam cuncta ejus perfecta sunt, scilicet corpus & anima.* Inde ita argumentor. In quo instanti perfecta sunt Deiparæ cuncta; nempe corpus & anima; in eo Deiparam gloria Domini implevit: seu sanctificavit. In primo instanti unionis Animæ cum corpore, perfecta sunt, Deiparæ cuncta: nempe corpus & Anima. Ergo in primo instanti unionis, Deiparam gloria Domini implevit: seu sanctificavit. Huic argumento favet S. Vincentius Ferrerius. qui serm. 1. de Nativ. ait. *Quando Corpus Beatæ Virginis fuit perfectè organizatum, & anima illi conjuncta per creationem, tunc altissimum sanctificavit tabernaculum suum &c.* Et serm. 2. de Nativ. *Non credatis, quòd fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur; sed statim, ac anima fuit creata: fuit sanctificata: & statim Angeli in cœlo celebrarunt festum Conceptionis.*

II. S. Doctor. 3. p. q. 27. a. 1. ait: *Rationabiliter creditur, quòd illa quæ genuit unigenitum à Patre; plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus, aliis majora gratiæ privilegia acceperit.* Et q. eadem, a. 4. sed con. dicit cum S. Augustino, *Deiparæ plus gratiæ collatum esse ad Vin-*

cen-

cendum omni ex parte peccatum, quia concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum: Et in 3. Sent. d. 3. q. 1. a. 1. ql. 3. sed con. ait: *plus gratiæ B. Virgini collatum est quàm alicui sanctorum:* & in C. *super omnes alios sanctos à peccato purior fuit, veluti sapientiæ Divinæ Mater electa: in quam nihil coinquinatum incurrit:* & ibidem; q. 1. a. 1. ql. 2. ad 3. *sub puritate quæ soli Homini Deo debeatur; maximam Virgo Mater debuit habere puritatem.* Subsumo, Sed aliquibus sanctis, collata est perpetua immunitas à peccato originali & actuali, ut Angelis: & ex hominibus, quibusdam collata est immunitas à peccato originali, ut Primis Parentibus; quæ etiam collata fuisset omnibus posteris Adæ, eo non peccante: & aliquibus, collata est immunitas ab omni actuali: ut pueris tempestivè raptis. Ergo rationabiliter creditur, totam eam puritatem collatam esse Virgini Deiparæ, quæ collata est Angelis: & quibusvis hominibus: cùm non dubium sit, *plus ei gratiæ ad vincendum omni ex parte peccatum datum esse, quàm alicui sanctorum:* quomodo vero, data ei esset, gratia copiosa ad vincendum omni ex parte peccatum, si non

esset

esset data ad vincendum originale? Neque dicatur. S. Augustinum, loco à S. Doctore citato à Deipara tantùm actuale peccatum exclusisse: non inquam dicatur id: Nam Augustinus toto illo libro, tractat de peccato in communi: & contra Pelagianos contendit: nullum esse sine peccato: etiam infantes: quia nimirum concipiuntur in originali. Cùm ergo universaliter eximat ab omni peccato Deiparam, à quo non eximit infantes; patet: quòd eam etiam ab originali eximat: maximè, quòd, si de solo actuali. S. August. loqueretur, verba ejus fallerent: cùm constet non solam Deiparam, sed multos alios peccato actuali caruisse: & tamen S. Augustinus de sola Virgine Matre, nolit habere quæstionem, cum agitur de peccatis. Ratio quoque S. August. convincit, eum agere, de omni simpliciter peccato. Ideo enim negat; Deiparam habuisse peccatum: quia meruit concipere Christum, qui peccatum non habuit. Si ergo hæc Consequentia valet; Christus non habuit peccatum veniale: Ergo neque Mater ejus; valere debebit, & hæc. Christus non habuit peccatum originale: Ergo neque Mater ejus: quam ferè ipsam
con-

consequentiam, idem S. August. l. 5. contra hæreses in persona Christi loquens, infert: *Si Mater mea Manichæe, potuit inquinari: cùm ipsam facerem: potui & ego inquinari; cùm ex ea nascerer*. Confirmatur primò. Cùm S. Doctor. 3. p. q. 27. a. 2. ad 2. verbis S. Anselmi respondet; vel docet puritatem Deiparæ solius Christi puritate inferiorem esse; vel non: sed intelligit eam esse inferiorem puritate Angelorum & primorum parentum ante lapsum. Si primum; Ergo a Deiparæ anima excludit omnem maculam, quam exclusit ab Angelis, & primis parentibus, ante primum lapsum. Si secundum, falsum erit; *sub puritate Christi maximam puritatem fuisse Deiparæ*: & argumenti ex S. Anselmo objecti nulla apparet solutio. Certum enim est Deiparam non habere puritatem proximam puritati Christi, si ea puriores sint omnes Angeli: & homines in statu innocentiæ, & si, æque ac illa, sint puri omnes infantes baptisati: nisi, etiam hi, dicantur habere puritatem qua sub Deo vel Christo nequeat intelligi major.

Confirmatur secundò. Mater Dei superior erat Angelis, quantum ad di-

gni-

gnitatem, ad quam divinitus eligebatur 3. p. q. 30. a. 2. ad 1. Ergo, cùm *unicuique à Deo detur Gratia; secundùm hoc ad quod eligitur*; 3. p. q. 27. a. 5. ad 1. data est ei, in primo suæ animationis instanti: ut data est Angelis, & primis parentibus tantò perfectior; quantò ejus maternitatis dignitas, ad quam electa: concipiebatur, fuit sublimior omnium Angelorum dignitate. Confirmatur tertiò. S. Doctor. 3. p. q. 27. a. 5. sic argumentatur. *Quantò aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius principii. Virgo Beata propinquissima fuit principio Gratiæ, Christo. Ergo maximè participavit gratiam Christi.* Eodem modo licebit sic argumentari. Quò aliquid magis appropinquat principio omnis puritatis, eò ab omni macula, immunius est. Virgo Beata, fuit puritatis principio propinquior, omnibus Angelis & hominibus. Ergo etiam fuit eis omnibus ab omni macula immunior. Cùm igitur, Angeli boni semper, & primi homines, initio suæ creationis, & aliquandiu post, fuerint immunes, à peccato originali & actuali, multò magis Virgo Beata, fuit semper ab omni ejusmodi peccato immunis.

III. S. Doctor 3.p. q.28. a.1. ad 4. ſic argumentatur; *Virtus Divina cum ſit infinita, ut non eſt determinata ad unum effectum; ita non eſt determinata ad modum producendi quemcumque effectum. Ergo ut virtute Divina fieri potuit: ut primus homo de limo terræ formaretur, ita fieri potuit ut Chriſtus de Virgine naſceretur.* Sic ego, ex eodem S. Doctoris principio inferam. Igitur ut virtute Divina, & Gratia, ex pura ejus liberalitate fluente, potuere primi homines creari in gratia: ita in eadem per merita Chriſti obtenta, potuit, concipi Virgo Deipara. Quia ergo quidquid nobis vera ratione melius occurrit: hoc ſcire debemus (ait S. Auguſt. 3. de lib. arbit. c. 5.) feciſſe Deum; tanquam bonorum omnium conditorem, (quod ipſum confirmat libro 1. contra adverſarium legis, & Prophetarum c. 14.) & quia *Natura facit quod melius eſt; & multò magis Deus:* (ait S. Doctor 1.p. q.47.a. 3.) & quia, *optimi agentis eſt producere totum effectum ſuum optimum, ſaltem per ordinem ad totum* (ut ibidem dicitur, a. 2. ad 1.) *& quia capacitas humanæ naturæ ſecundùm ordinem potentiæ naturalis à Deo ſemper impletur:* ut ait idem 3.p. q. 1. a.3. ad 3. ideo rationabiliter creditur

Deum

Deum totam capacitatem, & exigentiam Matris Dei implevisse: &, uti conveniebat; eam in primo instanti animationis sanctificasse per gratiam infusam propter merita Filii olim ex ea nascituri.

IV. Idem S. Doctor 3. p. q. 27. a. 1. ad 2. sic argumentatur. *Deus potentiam suam non alligavit: quin aliquibus ex speciali privilegio, Gratiam suam conferre possit: antequam nascantur ex utero. Ergo eam contulit Deiparæ antequam nasceretur ex utero.* tum licebit ex mente S. Doctoris sic argumentari. Deus ex speciali privilegio gratiam suam potest conferre animæ, in primo instanti unionis ejus cum corpore: ut defacto contulit animabus primorum parentum. Ergo eandem contulit Deiparæ. vel sic: Deus, ex gratia Christi, potest, non tantùm contracta peccata remittere: sed etiam à contrahendis præservare: (nam, ut alia omittam;) in Milevitano Concilio, est definitum: ut refertur de consecratione, dist. 5. c. placuit. *Quicunque dixerit, Gratiam Dei, quà per Jesum Christum justificamur, ad solam remissionem peccatorum commissorum valere, non etiam in adjutorium, ne committantur; anathema sit.* Ergo à con-

contrahendo in anima peccato Originali præservavit suam Matrem.

V. Idem ibidem a. 1. sic argumentatur: *Ecclesia Romana celebrat Nativitatem Deiparæ. Ergo Beata Virgo in ipsa sua Nativitate fuit sancta. Ergo ejus Nativitas fuit immunis à peccato Originali.* An ergo contra mentem ejus sic argumentabor? Ecclesia Romana, imò tota Ecclesia Catholica celebrat solemniter, ornat indulgentiis & privilegiis, Conceptionem Deiparæ: Ergo Conceptio Deiparæ per Gratiam Christi fuit immunis à peccato tunc contrahibili. Confirmatur primò. Idem S. Doctor 2. 2. q. 10. a. 12. ait: *Dicendum: quòd maximam habet authoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ est omnibus æmulanda, quia & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia authoritatem habet: unde magis standum est authoritati Ecclesiæ, quam Augustini vel, Hieronymi vel cujuscunque Doctoris.* Confirmatur secundò. S. Doct. sic argumentatur ibidem: *Sancti aliqui nati sunt sine labe originali. Ergo & Deipara est sine ea labe nata.* licebit ergo sic argumentari. Omnes Angeli & primi parentes in statu innocentiæ fuere immunes à peccato originali & Actuali. Ergo & Deipara.

VI.

VI. *B. Virgo Maria vera æstimatione à quibusvis generalibus excipitur* : ait S. Doctor 3. p. q. 30. a. 2. ad 2. & specialiter; q. 35. a. 6. ad 1. excipitur à maledictionibus ex peccato Evæ in omnes fœminas per universalem propositionem derivatis. Quidni ergo ex mente ejusdem excipiatur ab infectione personali culpæ originalis; quæ consequentium maledictionum fuit fons? cùm præsertim ad indigentiam Redemptionis suffecerit ei, obnoxietas hujus contrahendæ infectionis: ut inferiùs ostendetur.

VII. Idem S. Doctor 3. p. q. 31. a. 4. ad 3. sic argumentatur. *A Cristo omnis debuit abesse immunditia: Ergo non debuit concipi ex fœmina, concipiente cum libidine*. Ego ex eodem Antecedente infero: Ergo non debuit concipi ex Virgine infecta peccato originali: cùm majus dedecus Filii Dei sit, concipi, ex peccatrice & inimica Dei quàm ex fœmina sanctè & meritoriè conjugio utente.

VIII. Idem S. Doctor 3. p. q. 31. a. 5. ad 1. & 28. à. 2. c. sic arguit. *Christus qui venerat corrupta reparare & purgare, nullam debuit Matri suæ corruptionem inferre. Ergo natus est de Virgine in partu*

per-

permanente: &c; *Ergo non debuit Corpus Christi formari de carne, sed de Sanguine*. Ego ex eodem Antecedente infero: Ergo idem Christus, qui venit ad dejiciendum regnum diaboli; 3.p.q.36. a.2. ad 3. & qui venit ad excludendam potestatem ejusdem diaboli; 3.p.q.44. a.1.c. non debuit pati Matrem suam in servitute diaboli, vel ad momentum detineri. Confirmatur: non fuit conveniens: Christum, Matris honorem, nascendo diminuere: q.28.a.2.c. Ergo neque conveniens fuit: Christum, cùm posset: Matrem suam non præservare Gratia præveniente: à summo diabolicæ servitutis dedecore.

IX. Idem S.D. 3.p.q.34. a.3.c. sic argumentatur. *Christus perfectè sanctificatus est, ut esset aliorum sanctificator. Ergo non solum habuit Gratiam in primo instanti suæ Conceptionis: sed in eodem meritus est*. Dicam & ego, cum S. Doctore: Virgo Beatissima tantam Gratiæ plenitudinem obtinuit, ut esset propinquissima authori gratiæ, & eum pariendo, quodammodo gratiam derivaret ad omnes, 3.p.q. 27. a.5. ad 1. Ergo Virgo, adeo propinqua authori gratiæ, per quam gratia ad omnes derivatur, habuit gratiam in primo instanti suæ animationis.

X.

X. Idem S. Doctor 3.p.q.44. a.3.ad 3. & sæpè alibi, ait: *Christus communiter perfectissima opera faciebat: atque ideò quos sanabat in corpore eosdem sanabat in anima*. Ergo (inferam ego) cùm Dei Mater esset opus Dei perfectissimum; 1.p. q.25. a.6. ad 4. & 3. p. q.27. a.5. c. & ad 1. Christo principio Gratiæ propinquissima; rationabiliter dicitur: eam à Christo, tempestivo auxilio, in primo instanti, ejus animationis, præventam esse: ne gravissimæ succumberet infirmitati, & morti.

XI. Idem S. Doctor, 3.p.q. 27. a.1. ad 1. ait: *ideò in Deipara prius fuisse animale, quàm spirituale: quia prius fuit secundùm carnem concepta, postea secundùm spiritum sanctificata*. Ex quo ita argumentor.

Illam solam imperfectionem admisit S. Doctor in Deipara, quæ ejus præcessit sanctificationem. Sola imperfectio concupiscentialis Conceptionis secundùm carnem, præcessit eius sanctificationem. Ergo S. Doctor in Deipara hanc solam imperfectionem admisit: quòd sit concepta concupiscentialitèr secundùm carnem: seu quòd, ut alibi loquitur, caro ejus concepta est in peccato originali, in sensu infra explicando:

do: non anima. Min. probt. Quod solum in Deipara fuit animale ante spirituale; hoc solum, eius sanctificationem præcessit: solum concipi secundùm carnem, teste S. Doctore ibidem, fuit in Deipara, animale ante spirituale. Ergo solùm concipi secundùm carnem, seu secundùm concupiscentiam, præcessit Deiparæ sanctificationem.

XII. Idem S. Doctor, q. 28. a. 3. ait: *Læsio Virginitatis Deiparæ post partum; & derogat dignitati Christi: quem decuit esse Vnigenitum Matris, tanquam perfectissimum germen ejus: & injuriam facit Spiritui Sancto: cujus Sacrarium fuit uterus Virginalis: Ergo Beata Virgo fuit Virgo post partum*. Subsumo ego: at multò magis, macula servitutis diabolicæ, & inimicitiæ Dei, vel ad momentum permanens in Deipara, derogat dignitati Verbi Incarnati: (quod, uti purissimum, decuit ex Matre purissima: uti liberrimum, & ingenuissimum, à servitute diaboli liberrima concipi:) & injuriam facit Spiritui Sancto: quasi is, non potuerit, vel noluerit, à suo Sacrario, maculam summè ignominiosam, præveniente Gratia, arcere. Ergo, quas ob causas Deipara fuit semper Virgo; ob easdem fuit semper ab omni

cap-

captivitate diaboli, & inimicitia Dei liberrima. Confirmatur. *Talis debuit esse formatio Corporis Christi, ut Spiritum Sanctum deceret*: 3. p. q. 33. a. 1. ad 4. Ergo talis debuit esse formatio Sacrarii Spiritus Sancti, ut eum ipsum deceret.

XIII. *Ille solus* apud S. Doctorem, 3. p. q. 34. a. 1. ad 2. *natus est veraciter sanctus, qui ex commistione copulæ carnalis conceptus non est*: Ergo apud eum aliud est concipi sanctum, aliud talem per Gratiam effici. Ergo cum alicubi negat, Deiparam fuisse ipsa sua Conceptione sanctam; non negat, Sanctam effectam per Gratiam præservantem: sed solùm negat, sanctam fuisse ex vi, & modo Conceptionis.

XIV. *Ubi est plenitudo lucis ibi habitudo ad tenebras non remanet*: in 3. d. 3. q. 1. a. 2. ql. 3. sed con. 2. &; *Nulla est conventio Christi ad Belial*. 3. p. q. 27. a. 4. c. Ergo in Deiparæ animæ, nulla est habitudo ad principem tenebrarum: ne necesse esset Christo habere conventionem cum ea matre, quæ aliquando Belial captiva esset.

XV. S. Doctor tribuit Deiparæ corporis incorruptionem, & evectionem super omnes puras creaturas in gratia & gloria. 3. p. q. 27. a. 5. ad. 2. Ergo non est

est dubitandum, quòd eandem agnoverit liberam à peccato originali: memor à communi tributo Regum, decreto Christi Matth. 17. v. 25. liberos esse debere filios: & multo magis Matrem.

CAPUT TERTIUM.

Ostenditur S. Doctor hoc ipsum implicitè professus in argumentis, quibus omne peccatum arcet à Deipara, 3. p. q. 27. a. 4.

QUatuor ex hoc articulo, pro Deiparæ à labe originali præservatione eruuntur argumenta: quæ, quia jam prolixè à nostris Theologis expensa sunt; breviter referre sufficiet. Primum ibi S. Doctoris argumentum est. *B. Virgo non esset idonea Mater Dei si aliquando peccasset: quia honor Parentis redundat in prolem, ergo nunquam peccavit.* Subsumo ego: si Anima B. Virginis vel ad momentum habuisset peccatum originale; verè aliquando peccasset. Ergo, vel nunquam illud habuit; vel si habuit; non fuit idonea Mater Dei, vel sic argumentor. Majus redundat dedecus

in Filium Dei ex peccato originali, qua eſt animæ & perſonæ infectivum, quàm ex peccato actuali præſertim veniali. Sed propter dedecus venialis peccati, juxta S. Doctorem, B. Virgo non foret idonea Mater Dei, Ergo juxta eundem multo minus foret idonea propter peccatum originale. Major probatur. Majus redundat dedecus in Filium, ex peccato, quod ex ſe natum eſt transfundi in prolem, quàm ex peccato quod ex lege Divina, nulla ratione transfundi poteſt in eandem. Sed peccatum Originale, ex ſe natum eſt transfundi in prolem, peccatum verò veniale non poteſt, ex lege Divina transfundi in prolem. (Ezech. 18. Filius non portabit iniquitatem Patris ſui) Ergo vera Major.

Secundum S. Doctoris argumentum eſt. *B. Virgo habet ſingularem affinitatem cum Chriſto qui ab ea carnem accepit. Ergo in ea nullum fuit peccatum.* Ex quo ita arguo. Inconveniens eſt, affinem, conſanguineam, Matrem Dei, habere aliquid quod Filii cum Matre unitatem & amorem minuat: (ut minuit peccatum veniale:) Ergo multo inconvenientius eſt, affinem, conſanguineam Matrem Filii Dei habe-

be-

bere id, quod Filii cum Matre unitatem & amorem tollat: uti tollit peccatum Originale.

Tertium ejus argumentum est. *In B.Virgine Sapientia Dei modo perfectissimo habitavit. Ergo, ut dignum fieret habitaculum Sapientia Dei, in quam nihil coinquinatum cadit, eam modo perfectissimo purificavit*. at, (addo ego) modus perfectissimus purificandi eam; est, præservatio ejus, non solùm ab actuali peccato; sed & à macula originali: in cujus contrahendæ maximo versabatur periculo: Ergò eam, ab omni omninò macula, etiam originali, præservavit. Confirmatur: Perfectiùs purificati sunt à peccato veniali qui ab eo sunt præservati, ut nunquam illud commiserint; quàm quibus, ejus culpa & pœna remissa est. Ergo perfectiùs à culpa Originali purificati sunt; qui ab ea ita sunt præservati, ut nunquam illam contraxerint; etsi in ejus contrahendæ certissimo versarentur discrimine, quàm qui post illam contractam sunt sanctificati. Ergo cùm Sapientiæ Dei habitaculum, juxta S. Doctorem, modo sit perfectissimo purificatum, est etiam per Gratiam Redemptoris, à culpa

originali, juxta, atque actuali, præservatum.

Quartum S. Doctoris argumentum est. *De B. Virgine dicitur. Tota pulchra es, & macula non est in te. Ergo in ea, nullius fuit peccati macula.* Ex hoc ita arguo. Cujus Animæ pulchritudo, teste S. Doctore levissimam peccati venialis labem, neque ad momentum compati potuit; hæc præsumenda est, ex mente ejusdem, nec ad momentum, contraxisse labem, totaliter ejus deturpativam. B. Virginis pulchritudo, juxta S. Doctorem, compati nec ad momentum potuit, levissimam peccati venialis labem. Ergo præsumenda est, ex mente ejusdem, nec ad momentum contraxisse labem, ejus totaliter deturpativam. Sed macula peccati originalis, est talis. Ergo ex mente S. Doctoris, præsumendum est: quòd eam neque ad momentum pulchritudo Deiparæ pati potuerit. Confirmatur: Quia si Anima & Persona Deiparæ, pro aliquo instanti durationis, haberet culpam Originalem; non posset dici Deipara tota pulchra: & sine macula: imò pro aliquo tempore, deberet dici tota non pulchra: & tota maculata: quod ad-

mo-

modum inconveniens eſt. Denique cùm peccatum originale, teſte S. Thoma ſit quodammodo actualium peccatorum principium; in 2. d. 33. q. 1. a. 3. ad 1. & cauſa; q. 4. de malo: a. 8. ad 2. in quo, virtute præexiſtunt, omnia Peccata actualia; 2. 2. q. 82. a. 2. ad 1. quis ſibi poteſt perſuadere, S. Doctorem, cenſuiſſe; quòd Deiparæ Anima habuerit tale peccatum, in quo virtute præextiterint omnia peccata actualia: à qua ille tam ſtudiosè & tot collectis rationibns etiam leviſſimam, venialis peccati labem amoverit; & cujus puritatem, ab æqualitate puritatis Divinæ ſola potentia deficiendi diſcreverit?

Accedit quod tantam vim hujus argumenti, authoritati S. Auguſtini, innixi; agnovit Ariminenſis: in 2. d. 30. q. 2. a. 1. ad finem: ut docuerit; eos, qui dicunt Beatiſſimam eſſe in peccato originali Conceptam, conſequenter concedere debere, (ut de facto concedit ipſe) aliquod eam habuiſſe peccatum actuale, a qua aſſertione Piiſſimus Angelici Doctoris intellectus ſemper abhorrebat:

DISTINCTIO SECUNDA.

Oſtenditur S. Doctor nullibi quidquam contrarium docuiſſe, piè ſentientibus, de B. Virginis Deiparæ, à labe Originali, per Christi Gratiam præſervatione.

CAPUT PRIMUM.

Prænotantur quædam, ex Cajetano & Medina: quibus palam fiat, S. Doctorem, nullibi Piæ Sententiæ de Immaculata Deiparæ Conceptione adverſatum eſſe.

PIè ſentientium, de Immaculata Deiparæ Conceptione; eſt Concluſio. B. Virginem Deiparam, etſi non virtute Spiritus Sancti, ſed modo ordinario atque ideo cum carnis contagio, & conſequenter cum obnoxietate contrahendi in anima peccati originalis, conceptam; primo inſtanti ſuæ animationis, Gratia Christi ſanctificante ita præventam eſſe, ut ma-

cula

cula peccati originalis nunquam Animam & Personam Ejus infecerit.

Huic sententiæ & Conclusioni, nunquam contradixisse S. Doctorem priusquam probem; operæ pretium facturum me arbitror: si quæ Eminentissimus Cardinalis Cajetanus, idemque doctissimus Angelici Doctoris interpres, opusculo de Conceptione B. Virginis Leoni X. dicato, circa modum loquendi Piæ sententiæ tradidit; in medium, etsi aliquantum contracta, adduxero. Ait ergo c. 2. & 3. *B. Virgo, dupliciter potest dici immunis ab originali peccato. 1. ut præservata sit totaliter, ab Originali peccato; ita quòd exempta fuerit, ab omnibus ad dictum peccatum spectantibus. Nam cùm anima alicujus hominis incurrit Originale peccatum; non solùm macula Originalis peccati contrahitur. sed in primo instanti, in quo anima talis infunditur, prius secundùm ordinem naturæ, caro, cui anima infunditur, est infecta: utpote genita ex commistione: & ideò anima quæ infunditur illi carni, contrahit maculam in seipsa Originalis peccati; quia infunditur carni infectæ: neque solùm maculam ex carnis infectione contrahit Persona ita genita, sed etiam reatum clausæ cæli januæ, fo-*

mitem peccati, & *pœnam mortis temporalis: ita quod caro cui infunditur anima, ſit; in qua fundatur ratio, non potentia contrahendi peccati Originalis; ſed ratio contracti in propria perſona debiti, ad contrahendum in anima rationali peccatum Originale*, & *quoad maculam*, & *quoad reatum pœnarum.*

Secundò: ut B. Virgo, per infuſionem Gratiæ perſonalis, ſit præſervata, non ab infectione carnis, nec à debito contrahendæ in propria perſona illius maculæ; nec à fomite & *pœnalitatibus temporaneis; ſed à ſola macula peccati Originalis* (quatenus ſcilicet eſt infectiva Animæ & Perſonæ,) & *iis, quæ ab ea ſunt inſeparabilia: ut eſt reatus æternæ pœnæ damni.* Inter hæc, magnum eſſe diſcrimen; docet idem ibidem: eò quòd hac ſecunda via præſervationis Deiparæ à labe originali; Explicatur 1. quomodo Deipara fuerit intra numerum hominum, indigentium Redemptore, & defacto redemptorum: & per mortem Chriſti in cœlum inductorum, tùm quia, juxta hanc viam, habuit carnem infectam, cum fomite & temporaneis pœnalitatibus, ob carnis infectionem contractis; tum quia juxta eandem, habuit debitum

con-

contrahendæ in anima & persona sua, maculæ Originalis peccati, nisi Gratia Redemptoris pro primo instanti animationis muniretur: atque ideò egebat futuro remedio, per Incarnationem, & mortem Domini Jesu Christi exhibendo.

Explicatur secundò singularis prerogativa Christi: nam in hac via, solus ille, conceptus est Sanctus, ex vi & natura suæ Conceptionis, seu, (ut alii loquuntur) soli illi sanctitas non erat aliunde adscita; sed naturalis: tum ex duarum naturarum unione in Divina Hypostasi: tum jure ipso naturalis conceptionis, quatenus Spiritus Sancti virtute genitus est; adeo ab omni culpa immunis & liber, ut si per impossibile, unio Hypostatica Christum non redderet ab omni culpa liberum; redderet eum talem, ipsa conceptionis ejus ratio: (ut infra ex S. Anselmo patebit:) quod Deiparæ ordinario modo conceptæ non convenit, deinde; Deipara concepta est, cum infecta carne, & proinde fundante debitum cuntrahendæ maculæ personalis; nisi Gratia accelerata impedivisset, infectæ carnis redundantiam, in animæ infectionem: cùm tamen

Christi caro ex Virgine concepta, parem habuerit puritatem, puritati carnis, in qua primi homines conditi sunt.

Explicatur 3. quomodo Gratia Christi sanctificans habuerit rationem Gratiæ mundativæ & redemptivæ. Nam quatenus a Deipara tollebat debitum naturale contrahendæ in propria persona maculæ; liberavit eam, non à macula actu habita: sed a debita haberi, ex propria carne taliter suscepta: & in ejusdem carnis infectione inchoata. Horum nihil in 1. via explicari potest: quomodo enim Redemptore indiguerit, quæ fuerit extra omne periculum captivitatis? quomodo non deroget dignitati Christi, cujus conceptio, æquè excludat infectionem carnis, & debitum contrahendæ in anima maculæ; ut exclusit Conceptio Christi? Hæc ferè Cajetanus.

Eadem ferè dicit Bartholomæus Medina in 3. p. q. 27. a. 2. circa primam Conclusionem: *Sciendum* (inquit) *est: in Originali peccato aliquid esse: quod ad ejus essentiam pertinet: ut macula & culpa: alia verò, quæ antecedenter & consequenter se habent ad illud: qualia sunt debitum in anima contrahendi hoc peccatum: fomes peccati: occlusio januæ ce-*

lestis : indigentia Redemptoris : necessitas peccandi, nisi per Gratiam Dei adjuvemur : corporis mortalitas, &c. & mox concludit : *concedendum esse, quòd B. Virgo contraxit debitum & periculum contrahendæ culpæ Originalis, ejusque aliquos effectus : quia non fuit concepta ex Spiritu Sancto, sed modo ordinario : quali quicunque concipiuntur, ex vi ipsius Conceptionis, habent debitum dicti peccati, eiusque effectuum. Neque* (inquit) *injustum est, à non habente maculam personalis culpæ, ob solum debitum, subjici aliquem talibus pœnalitatibus : tum quia mediatio maculæ personalis, etsi ordinaria, non tamen ita necessaria sit ; ut impedita macula, oporteat impediri consecutionem aliorum : sufficit enim, quòd omnium horum communis radix, scilicet infecta caro, sit in instanti illo ; quo anima infunditur infectæ carni : tum quia non est omninò extra propriam culpam Originalem ; qui in proprio debito, & initio, illam habet.* Hactenus Medina. Quibus prænotatis.

Dico : Angelicum Doctorem, nullibi negasse ; Beatissimam Dei Matris Animam, fuisse præservatam per Gratiam Christi, à culpa Originali : non sumpta initiativè, vel secundùm ea,

quæ antecedant animationem: seu quatenus est infectiva carnis, cum obnoxietate transfundendæ in animam maculæ, nisi hæc tempestiva Gratiæ Sanctificantis infusione protegatur, sed sumpta essentialiter: seu quatenus est infectiva Animæ & Personæ. Hæc ut probem; sit.

CAPUT SECUNDUM.

Affertur prima Probatio: deducta ex titulis quæstionum à Sancto Thoma, aliisque veteribus Theologis, in hac Materia propositarum.

MOveor Primò. Quia alius erat status quæstionis, in hac materia, Theologorum coætaneorum S. Doctoris; ab eo, qui nunc est. Hujus ævi quæstio est: *An Deipara per Gratiam Christi, in prima sui animatione acceptam, sit præservata à peccato Originali, Animæ Personæque ejus infectivo.* Illorum verò quæstio erat: *An B. Virgo, ex vi, & natura suæ propagationis, concepta sit sine peccato Originali*. id est; cùm tali in eam transfusione justitiæ Originalis, vel gratiæ, tali propagationi debitæ; qualis in omnes homines fuis-

fuiſſet ; ſi Adam non peccaſſet . Orta enim hæc eorum diſputatio erat , ex verbis Magiſtri Sent. in 3. d. 3. ita dicentis . *Credi oportet , juxta Sanctorum atteſtationis convenientiam , Carnem Verbi , priuſquam conciperetur , fuiſſe peccato obnoxiam , ſicut reliqua Virginis carò : Spiritus Sancti operatione mundatam ; ita, ut ab omni contagio immunis , uniretur Verbo . Mariam quoque totam , Spiritus Sanctus præveniens , à peccato prorſus purgavit &c.* Horum verborum occaſione , Theologi veteres , ut explicarent , qua ratione , Caro Chriſti in Deipara fuerit obnoxia peccato , non autem in Chriſto ; multas quæſtiones, de ſanctificatione Deiparæ , quarum nunc nullus eſt uſus , inſtituerunt .

Primò quærebant : *An B. Virgo ſanctificata fuit ante conceptionem Carnis : ſeu in Parentibus .* (Ita proponit Alenſis 3.p.q.9. membro 2.a. 1. & alii:) & concludebant negativè . Quia non potuit priùs ſanctificari, quàm eſſet : cùm ſanctificari ſupponat eſſe . 2. Quia conditio ſpecialis perſonalis , non tranſit in prolem , niſi ſit ad naturam corporalem pertinens , qualis non eſt ſanctitas perſonalis parentum , 3. Quia B. Virgo , ante ſui Conceptionem , in

pa-

parentibus fuit per naturam: quæ, ut non est sanctificata in se, eò, quòd perfecta naturæ curatio (in 3.d.3. q.1. a.1.ql.1.) ad perfectionem gloriæ pertineat: ita nec in parentibus. 4. Quia proles, ut non est in parente secundùm animam, sic in eo non habet sanctificationis Gratiam. 5. quia vis generativa est vis naturæ, non personæ, nisi ratione naturæ: & ideò, ut nos, in Adam, post peccatum sanctificari non potuimus: ita nec B. Virgo in parentibus. Ob has aliasque rationes, negativè, ut dixi, concludebant: & verba illa S. Damasceni, Orat. prima de Nativitate; *ò beatos Joachimi lumbos, ex quibus prorsus immaculatum semen fluxit:* & illa S. Pauli *ad Rom.* 11. *si radix sancta & rami:* explicabant.

Secundò quærebant: *An B. Virgo sanctificata fuit, in conceptione activa, antequam conceptio activa carnis eius finiretur:* ut proponit S. Doctor in Sententiis in 3. d.3. vel, ut idem loquitur, ibidem, a.1.ql.1. in argu. 3. *in ipso concubitu matrimoniali:* & 3. Negabant. Quia hic usus, etsi, ut est à voluntate movente, & ut est actus personæ, possit esse meritorius & sanctus; ideoque sine peccato, ut tamen est à natura mo-

movente, secundùm inordinationem fomitis, vel libidinem, non potest esse sanctus, & sine peccato: *quomodo enim peccatum non fuerit, ubi libido non defuerit?* ait S. Bernardus, Non potuit ergo B. Virgo in activa sui conceptione sanctificari; quia actio conceptiva ejus, non potuit esse transfusiva in prolem ullius sanctitatis: non personalis; quia hæc non est transferibilis in prolem carnaliter genitam, cùm talis sanctificatio non respiciat carnem, sed mentem: nec naturæ; quia perfecta naturæ curatio ad perfectionem gloriæ pertinet.

Tertiò quærebant: *An B. Virgo sanctificata fuerit post Conceptionem ante animæ infusionem:* (ut proponit Alensis) vel: *An Caro B. Virginis fuerit sanctificata ante animationem:* ut proponit S. Bonaventura d. citata q. 1. vel: *An B. Virgo fuerit sanctificata ante animationem:* ut proponit S. Doctor in sent. & in summa; Et quidem potuisse B. Virginem ita sanctificari, docebant omnes: & probabant: 1. Quia, potuit Deus conceptum semen à morbida qualitate purgare: & ita præservare, ne inficeret: suspendendo suam actionem, quantùm ad

hanc

hanc morbidam qualitatem tantùm, sine cujus actione nihil positivum fieri potest. 2. Potuit Deus tollere omnem fervorem libidinis, unde illa morbida qualitas generaretur. 3. Etsi in semine transfuso fuisset fomes: potuit adhuc Deus illum ante animationem extinguere: & sic corpus de semine formatum à fomite, & ab omni morbida qualitate penitus purgare: quo purgato, anima infusa nullam contraheret maculam. His rationibus inductus Gabriel, in 3. q. 1. a. 2. ait: hanc possibilitatem à nemine sanæ mentis negari posse. Eandem admittunt S. Bonaventura, & S. Doctor. in 3.d.3.q.1.a. 1. ql. 1. C. & peculiariter coævus S. Thomæ Theologus, Thomas Argentinas, Ordinis Eremitarum D. Augustini: cujus verba, quia ad meum propositum plurimum faciunt, integra refero. In 3. Sent. d. 3. q. I. ita concludit: *Prima Conclusio est: quòd Deus, potuit Virginem Matrem præservare ab Originali culpa, &: Probo sic: Deus potuit semen, quo Virgo propagata est, præservare à qualitate morbida, ex cujus connexione, fœtus inficitur originali macula. Ergo potuit Virginem præservare à tali macula. Consequen-*

tia patet: quia præventa causa, prævenitur effectus, ut enim in paradiso, fuissent geniti homines sine Originali peccato, ob puritatem seminis, & carentiam huius morbidæ qualitatis: sic &c. Antec. probo: quia virtute Divina, prius potest separari à posteriore: maximè si ipsum prius, est entitas simpliciter absoluta: sed semen, est naturaliter prius illa morbida qualitate, contracta ex peccato primi hominis: & est Entitas simpliciter absoluta. Ergo &c. Confirmatur. Major est connexio naturæ ad proprium suppositum; quàm humani seminis, ad morbidam qualitatem. Sed Deus potest humanam naturam separare à proprio supposito. Ergo &c. En quàm evidens argumentum est; Temporibus S. Thomæ Doctores, de Immaculata Conceptione Deiparæ, longè aliter fuisse loquutos, quàm nunc loquamur: siquidem nunc loquimur de præservatione à labe originali, per infusam gratiam, in primo instanti animationis; tunc autem, loquebantur Doctores de præservatione Deiparæ ab ea labe, per seminis depurationem à morbida qualitate, quam possibilem fuisse, multi afferebant, & cum eis S. Doctor. Major erat

dif-

difficultas, de facto. Erant enim qui tuerentur; Beatissimam, esse præservatam à labe originali, per dictam seminis à morbida qualitate depurationem: uti, loco citato, docebat Argentinas: & è Seraphica familia Guillermus Vorillo: qui, in 3. sent. d. 3. q. un. ante Conclusionem secundam, docet: *Beatissimam, in utero Matris tripliciter fuisse sanctificatam: primò, in carne, ante animæ infusionem: à corruptione scilicet vitiosa. Secundò in animæ infusione. Tertiò in alicujus virtutis usu & exequutione*. Primum punctum qui docebant, movebantur primò authoritate S. Anselmi dicentis; *Deiparam nitere debuisse ea puritate, qua sub Deo non posset intelligi major*: & S. Damasceni orat. de Nat. Mariæ; dicentis. *Natura gratiam antevertere ausa non est: sed tantisper expectavit, dum gratia fructum suum produxisset*. Deinde rationibns: tum quia possibile fuit, & congruum, ut Caro Deiparæ, crearetur in ea puritate; in qua Creata est caro primorum parentum: tum quia, non est minus potens virtus sanctificans, quàm inficiens: cùm ergo caro potuerit infici ante animationem,

cur

cur non & sanctificari? siquidem opposita fieri circa idem nata sint: tum denique, quia quidam festum Conceptionis, qua significantis sanctificationem B. Virginis ante animationem, celebrabant: quos S. Bonaventura, non obstante authoritate S. Bernardi, noluit simpliciter reprehendere: quia (inquit) *hæc solemnitas dicitur cœpisse Divina revelatione: quod si verum est, potest hoc festum celebrari: quia tamen non est authenticum; non tenemur credere; quia verò non contra fidem rectam, non tenemur negare*. Hæc ille. ubi locutum esse Seraphicum Doctorem, de Conceptione carnis sanctificatæ ante animationem; patet ex toto processu articuli illius jam citati. De eodem festo ita intellecto, loquitur & S. Doctor 3. p. q. 27. a. 2. cùm ita argumentatur. *Quidam celebrant festum Conceptionis B. Virginis: ergo B. Virgo fuit in ipsa sua Conceptione sancta, & ideo ante animationem sanctificata*. Fatetur ergò fuisse quosdam, qui celebrarent festum Conceptionis B. Virginis, qua significantis sanctificationem ante animationem. Plures tamen doctiores, etsi faterentur B. Virginem ante animationem

ma-

mationem potuisse sanctificari : de-factò tamen ita sanctificatam negabant; Quia, ut corpus ante animationem non habet conditionem, per quam possit ordinari ad gloriam; ita nec conditionem, ut possit ordinari ad Gratiam: seu quia caro ante animationem, non est capax Gratiæ: consequenter nec sanctificationis, quæ fit per Gratiam. Ita Alensis. In idem recidunt rationes S. Bonaventuræ; & S. Doctoris: quia sanctificatio habet esse per aliquod donum gratuitum superadditum, cujus subjectum non potest esse caro; sed sola anima. 2. Quia prius est animam uniri, quàm Gratiam Dei sibi infundi. Si ergo Caro illa infecta fuit; ex sua infectione nata erat animam culpa originali inficere. Ergo non est sanctificata per Gratiam, nisi post unionem animæ ad corpus; 3. Quia sequeretur B. Virginem esse conceptam virtute Spiritus Sancti: quod est contra fidem. Ita S. Bonaventura. Rationes S. Doctoris infrà afferentur.

Præter has quæstiones, solum S. Bonaventuram comperi, quæsivisse: *An Anima B. Virginis sanctificata fuit an-*

ante contractum originale peccatum: quem sequuti posteriores Theologi, quærebant: *An B. Virgo fuerit sanctificata in infusione animæ:* vel, ut loquitur Pelbartus, *in unione ad corpus*; Ergò cùm hujus quæstionis nullum vestigium reperiatur apud S. Doctorem, etsi ei ignota esse non potuerit, ut pote S. Bonaventuræ coætaneo; est admodum verisimile; S. Doctorem, consultò ab hac quæstione abstinuisse: contentum, suæ mentis de perfectissima Deiparæ ab omni macula immunitate, explicatione; data in Primo Sententiarum: & solùm negasse: Deiparam per dictam depurationem naturæ, esse à labe originali præservatam: etsi eam ita quoque præservari potuisse; docuerit.

* * *

CAPUT TERTIUM.

Affertur ſecunda Probatio, ducta ex rationibus S. Thomæ: quibus in hac Materia utitur.

MOveor ſecundò. Quia ubicunque probat S. Doctor; B. Virginem Deiparam contraxiſſe peccatum Originale; non utitur iis argumentis: quibus nunc utuntur; qui eam probant non eſſe à labe originali præſervatam, per Gratiam Chriſti, animæ ejus, primo ſuæ unionis inſtanti, infuſam: ſed potiùs utitur iis argumentis: quæ ſolùm probant; parentes Deiparæ in B. Virginem non transfudiſſe juſtitiam; quam omnes parentes, non peccante Adam, tranſfunderent in prolem: vel certè; quæ probant, Deiparæ carnem, fuiſſe contagio peccati Adæ infectam, cum debito transfundendæ, in animam & perſonam, maculæ; niſi tempeſtivo Gratiæ Chriſti præſidio muniretur.

Primum probatur. Quia ratio, qua nunc utuntur, qui Piam Sententiam, de præſervatione Deiparæ per Gratiam, impugnant; hæc ferè uni-

ca

ca est: Impossibile est uno eodemque instanti contrahere peccatum originale, & sanctificari ab illo: seu uno, eodemque instanti, habere Gratiam, & carentiam illius: (aliæ rationes solùm pugnant, contra sanctificationem corporis inanimati Deiparæ: non contra ejus animæ gratuitam præservationem: ut infra patebit:) Atqui S. Doctor, nullibi utitur hac ratione: nullibi probat: nullibi concludit: Deiparam in sui animatione caruisse Gratia, & habuisse maculam culpæ Originalis. Ergo aliud de Animatione Deiparæ sensit: quàm sentiant illi, qui allata ratione contra Piam sententiam utuntur. Confirmatur hoc, testimonio Cajetani in Comm. 3. p. q. 27. a. 2. *Tempore*, inquit, *S. Thomæ non quærebatur: an B. Virgo fuerit sanctificata in instanti infusionis animæ: omnibus communiter tenentibus; Beatissimam Virginem Conceptam esse in peccato originali: & ideò reprobantibus sanctificationem carnis ante animationem:* & infra; hanc Conclusionem; *B. Virgo non est sanctificata in animatione*: ait, *non doceri à S. Thoma, sed Corollariè inferri*: notentur & expendantur verba hujus Commentatoris; & patebit;

etiam

etiam ejus judicio, nunquam S. Doctorem quidquam ſcripſiſſe, contra Deiparæ à culpa originali præſervationem, per Gratiam Chriſti, in primo inſtanti animationis, Beatiſſimæ ejus animæ infuſam.

Secundum probatur. Quia, cùm S. Doctor probat, Deiparam in peccato Originali eſſe conceptam, utitur his rationibus; vel, quia in Parentibus ejus, non fuit curatum id, quod eſt naturæ: unde per actum naturæ propagationi deſervientem, non potuit ex eis ſancta proles concipi, ſed vitiata: propter vitium naturæ in eis remanens: in 3. d. 3. q. 1. a. 1. ql. 1. c. & ad 1. vel, quia ante animationem non erat capax Gratiæ ſanctificantis *ibidem*: cùm ejus ſubjectum ſit ſola creatura rationalis: 3. p. q. 27. a. 2. c. vel, quia non egeret Redemptore: ſi nunquam originali macula fuiſſet infecta: *ibidem*: vel etiam, quia hoc derogaret dignitati Chriſti: *ibidem*: vel; quia ſecus patuiſſet ei, ante Chriſti mortem ingreſſus in cœlum: *ibidem utrobique*: vel, quia concepta eſt communi humanæ propagationis modo; id eſt: ſecundùm concupiſcentiæ legem: fuitque in Adam non ſolùm

lùm secundùm corpulentam substantiam, quomodo in eo fuit etiam Christus; sed etiam secundùm seminalem rationem, ut sæpè loquitur in 3. parte.

Quas rationes, non pugnare, contra gratuitam Deiparæ à labe Originali per Gratiam Christi præservationem; facilè ostendo.

Non pugnat prima; quia, hanc rationem, omnes veteres Theologi, solùm contra eos afferebant, qui docebant, Deiparam esse sanctificatam in parentibus; vel in usu conjugii: vel ante animationem ipsius prolis; ut patet legenti Sanctum Thomam, Sanctum Bonaventuram, & Alensem. Et certè, infusio gratuita, gratiæ Christi, non pendebat à curatione vulneris naturæ; ut neque à dispositione parentum; ut, vel ideò, manifestum sit; per eam rationem solùm probari; parentes Deiparæ etsi sanctos, non potuisse ex vi suæ actionis, etsi sanctæ, personaliter, & meritoriæ, transfundere in prolem ullam sanctitatem.

Non secunda: Quia solùm pugnat contra sanctificationem ante animationem; ut patet ex terminis.

Non Tertia: Quia S. Doctor, cautè & circumspectè utitur hac ratione: ait enim: non fore necessarium Deiparæ Redemptorem, si Nunquam incurrisset maculam Originalis culpæ; quod factum fuisset; non per negatam pro primo instanti animationis, Gratiæ infusionem; ut docent, qui Piam Sententiam oppugnant; sed ut ipse docet; 3.p. q.27. loco maximè controverso. *Si B. Virgo quocunque modo fuisset ante animationem sanctificata*. Unde idem, ibidem, tam in c. quàm ad secundum ex hac ratione; *B. Virgo indiguit Redemptore*: hanc solam infert Conclusionem. *Ergo non fuit sanctificata ante animationem*. Processus enim argumenti hic est: *si Nunquam B. Virgo contagio Originalis culpæ inquinata fuisset, non indiguisset Redemptione, & salute per Christum* ait ad secundum *Quocunque modo ante animationem B. Virgo sanctificata fuisset; Nunquam contagio Originalis culpæ inquinata fuisset*: ait in c. *Ergo quocunque modo ante animationem B. Virgo sanctificata fuisset; non indiguisset Redemptione per Christum*. Ergo manifestum est negationem indigentiæ Redemptoris, intulisse S. Doctorem, non ex præser-

va-

vatione Deiparæ à labe originali, quam Pia ſententia tuetur, ſed ex qualicunque ſanctificatione Ejus, ante animationem. Cujus S. Thomæ diſcurſus & rationis efficacia, ut intelligatur; notanda ſunt verba Cajetani hic paragr. Ad evidentiam. B. (inquit) *Virgo ſi à carne ejus animam ſuſceptura contagionis labes amota fuiſſet, uti amoveri potuit; fuiſſet concepta ſine peccato Originali, ſine ulla Chriſti gratia; ita quòd ex hoc ipſo, quòd anima ſua infuſa eſſet materiæ mundæ; Originale peccatum non contraxiſſet; etſi nulla ſuperappoſita fuiſſet gratia.* Hoc ſuppoſito, efficaciſſimè urget argumentum S. Doctoris. Nam ſi B. Virgo ſanctificata fuiſſet ante animationem; caro ejus eſſet ab omni infectione munda: quæ ſi munda eſſet; anima ejus infunderetur Materiæ mundæ: ſi autem infunderetur Materiæ mundæ; eo ipſo, ſine ullo auxilio Gratiæ, immunis foret à peccato Originali: ſi autem ſine ullo auxilio Gratiæ, immunis foret à peccato Originali, non indigeret Redemptore. Ergo, ab ultimo ad primum, non indigeret Redemptore, ſi ſanctificata eſſet ante animationem. At, contra præſerva-

tionem gratuitam ; nihil procedit ea ratio : verè enim indiget medico : qui eo indiget, ut à morbo præservetur : & perfectior redemptionis modus est præservativus, quàm curativus : certum enim est, perfectiùs participare Gratiam Redemptoris eum : qui ab omni peccato mortali præservatus est; quàm qui multorum commissorum mortalium, per eandem, veniam obtinuit. Denique implicat in adjecto, indigere præservari per Gratiam Christi, tempestivè infusam, neque tamen indigere Redemptore.

Non quarta, ut patet, ex observatione Cajetani : primo capite, hujus distinctionis adducta. Per hoc enim solùm dignitati Christi derogatum iri, censet S. Doctor : si aliquis præter eum, ex vi suæ conceptionis ; ideoque sine indigentia Christi, esset sanctus ; quod fieret, si esset ex virtute S. Spiritus conceptus : quod aliqui hæretici, Deiparæ tribuebant : vel saltem ; si conceptus esset ex Virgine, sine consortio viri : sicut est conceptus Christus ; si denique non solùm anima, sed neque caro ejus, ullam haberet infectionem, ex peccato Adæ fluentem ; & in animam, extrahentem necessitatem con-

trahendæ maculæ ; nisi ea speciali Gratia Christi præveniretur.

Non quinta ; Quia bene sciebat S. Doctor : S. Joannem Baptistam, aliosque sanctos Patres, etsi perfectè à labe originali & actuali purgatos, non esse ingressos cœlum ; quia pretium Redemptionis nondum erat solutum ; & quia decreverat Deus Christi Passionem futuram, acceptare ad remittenda peccata, non tamen remittere pœnam, nisi pretio redemptionis soluto; & ipso Christo cœlos ascendente. Ergo etiam optime sciebat : Deiparam, etsi prçservaretur à labe Originali, non fuisse nisi Christo prævio, cœlos ingressuram: siquidem æque debito contrahendi peccati, atque ipsi contracto originali peccato, cœli janua fuerit clausa : ut ex Cajetano & Medina ostensum est. Majus ergo aliquid, ea ratio supponit : nimirum, B. Virgini restitutam naturæ fuisse integritatem, ex vi, ipsius Conceptionis : cujus restitutione tolleretur ab ea omnis obnoxietas ad peccandum : & consequenter Redemptoris indigentia quo fieret ; ut ei cœli janua independenter à Redemptore, & lytri persolutione patere deberet : ut patuisset Adæ po-

ſteris, ſi nec ille, nec hi peccaſſent.

Non ſexta: Quia, ex modo communi propagationis, potiùs carnem quàm animam inſici; infert S.Doctor 3.p. locis infra citandis. Confirmatur. Quia S.Doctor, pro cauſa Immaculatæ Conceptionis de qua agit; nullibi affert infuſionem Gratiæ in primo inſtanti animationis: vel præſervationem per merita Chriſti obtentam: ſed longè alias. 1. eſt: redintegratio perfectionis naturæ. Ita enim loquitur in 2. d. 31. q. 1. a. 2. c. *Si defectus peccati Originalis, non traduceretur in aliquem; non poſſet id contingere. Niſi per Hoc;* (notetur tam univerſalis exceptio:) *quòd natura generantis perfectè redintegrata eſſet: non enim poteſt contingere; ut virtute deficientis naturæ aliquid in natura non deficiens generetur.* Premam hæc verba inferius: nunc ſufficiat; eam ſolam immunitatem à peccato Originali, Deiparæ à S. Doctore negari; quæ conſequatur virtutem naturæ; ſeu quæ fiat virtute generantis, in quo natura perfectè eſſet redintegrata. Secunda eſt: ſi Eva ſola peccaſſet; *quia* (inquit q. 4. de malo. a. 7. ad 4.) *Originale peccatum contrahitur, per virtutem moventem ad naturam humanam*

quæ

quæ est in semine maris : secundùm Philosophum . 3. Si uterque parens, à fomite perfectè purgaretur . Ita docet in 3. d. 3. q. 1. a. 2. ql. 3. in fine . *Dicendum* (inquit) *quod si per impossibile, ponatur, B. Virginem post secundam sanctificationem alium filium ex carnali copula concepisse, ille filius peccatum Originale habuisset , non ex parte Matris , sed ex parte Patris : si verò ponatur patrem pari modo sanctificatum fuisse , ut Beatissima Virgo in secunda sanctificatione , ille filius peccatum Originale non habuisset .* Simile quid habetur , in 2. d. 32. q. 1. a. 2. in sed con. ubi dicitur : *Si baptizatus concupiscentiam fomitis non haberet , non generaret filios in peccato Originali .* Quod ipsum innuit ferventissimus S. Thomæ discipulus Ægidius Romanus , qui de hac quæstione tractans,quod libeto 6. q.20. docet. quòd, *si B. Virgo concepta fuisset , sine labe Originali , debuisset etiam , S. Anna Ma er ejus , sine eadem labe concipi .* quarta. *Si Deus concupiscentiam habitualem vel radicalem , ab aliquo parente tolleret : quod facere potest* ; (ait in 2. d.31. q. 1. a.2. in fine : & in Secundo Scripto l. 2. d. 31. q. un. a.4. ad 5. *tum enim, redintegraret penitus naturam : & ita geniti ,*

ſine Originali naſcerentur . quinta , & frequentiſſima : *Si quis extraordinario modo conciperetur* ; *vel formaretur ex humana carne miraculosè* ; *non contraheret peccatum Originale* 1.2.q.81.a.4. in ſed con. & in c. *vel* (quod idem eſt :) *ſi in Adam eſſet* , *ſolùm ſecundùm corpulentam ſubſtantiam : non ſecundùm ſeminalem rationem* ; ideſt : *ſi deſcenderet ab Adam : nec ſecundùm materiam ab eo fluentem* , *ſed de novo creatam* ; *nec ſecundùm virtutem formantem* , *quæ dicitur ratio ſeminalis* : *quòd fieret* ; *ſi conciperentur ex digito* , *&c. vel ex ſola Virgine* , *ut conceptus eſt Chriſtus* . Huic rationi ultima phraſi explicatæ , tantùm tribuit S. Doctor ; ut in q. 4. de malo . a. 7. ad 6. rejectis pluribus rationibus , per quas Chriſtus liber eſſe deberet à peccato Originali , eam ſolam ſufficere dicat: quòd ſit conceptus ex Virgine: & 3.p.q.15.a.1.ad 2. & q. 31. per multos articulos doceat : *ideò præcisè* Deiparam *peccato Originali fuiſſe obnoxiam* : *& carnem ejus in eo eſſe conceptam* , *ideoque decimatam eſſe in Abraham* ; *Chriſtum non item* ; *quia Chriſtus non ita deſcendit ab Adam* , *ut ad illum peccatum perveniret*, *eò quòd Chriſtus non derivatur ab Adam ſecun-*

dùm

dùm concupiſcentiæ legem, ſeu ſecundùm ſeminalem rationem; ideoque non accepit ab eo activè humanam naturam; ſed ſolùm materialiter: cùm tamen Deipara deſcendat ab Adam ut ab activo principio, utpote ordinario modo concepta. Quod majus eſt, tantùm huic rationi innititur S. Doctor; ut cenſeat ab ordinario humanæ propagationis modo inſeparabile eſſe peccatum Originale. Unde 3.p.q.28. a.1. cum S.Bonaventura in 3.d.12.a.3.q.2.docet: *etiam Chriſtum non potuiſſe concipi ſine peccato Originali, ſi fuiſſet conceptus ex non Virgine.* Quod etiam ipſum, virtualiter aſſerit Ægidius: quatenus loco citato pro fundamento aſſumit; omnem quicunque concipitur via naturæ ex ſemine virili, de neceſſitate contrahere Originale: ita ut oppoſitum ſit impoſſibile. Videre hujus loci difficultatem duo graviſſimi Thomiſtæ: Medina, & Naſarius: non ignari; Chriſtum, etiam communi modo conceptum, non fuiſſe futurum peccato ulli obnoxium; cùm tamen S.Auguſtinus, à S. Thoma loco citato adductus, videretur ſupponere, id, & de abſoluta potentia eſſe impoſſibile; ut accuratè expendit Naſarius; qui ibi-

dem duabus Medinæ solutionibus rejectis, ut revera insufficientibus, ait: *nec S. Thomam, nec S. Augustinum, negare, Christum modo ordinario potuisse concipi sine peccato Originali: sed utrumque id solum voluisse; quòd tunc caro Christi antequam à Verbo assumeretur, infectionem haberet peccati Originalis quasi virtualem; quæ ad peccatum Originale contrahendum, in termino generationis ordinaretur; nisi Gratia unionis Hypostaticæ, aut Habituali præveniretur; atque ita, sensum Patris utriusque esse; Christum, si secundùm concupiscentiam conceptus fuisset, habiturum fuisse, in carne, ante animationem, peccati Originalis infectionem; cum modò de facto, peccatum in Humanitate Christi, nullum habuerit locum: nec in se formaliter; nec in ejus materia ante animationem virtualiter*, Hæc ille. Quo ergo modo S. Thomam explicat hic, Nasarius; hoc ipso, omnia loca, quibus S. Doctor dicit Deiparam conceptam esse in peccato Originali, explicari posse, & debere, censeo. Nam cùm S. Doctor, hoc plerumque argumento, probet, Deiparam peccasse in Adam; & conceptam esse in peccato Originali; *quia est concepta concu-*

pi-

piſcentialiter, *ob non curatum in parentibus naturæ vulnus*: (ut loquitur, in 3. d.3. q. 1. a. 1. ql. 1. ad 1.) vel *quia proceſſit ab Adam ut à principio activo*: Ideo cenſendus eſt ſenſiſſe; non aliter, in peccato Originali conceptam eſse Deiparam; quàm quomodo in eo conceptus eſset Chriſtus; ſi eodem modo deſcendiſset ab Adam, quo deſcendit Deipara. Atqui, juxta S.Doctorem (teſte Naſario) Chriſtus ita conceptus, non habuiſset peccatum Originale formaliter; (qua ſcilicet eſt animæ & perſonæ infectivum:) ſed tantùm virtualiter: quatenus nimirum, eſt infectivum carnis, tranſfuſivæ in animam contagii Originalis, niſi hæc unione Hypoſtatica, vel Gratia Habituali præmuniretur: Ergo juxta eundem ſanctum, Deipara ita concepta, non habuit peccatum Originale formaliter; ſed ſolùm virtualiter: ſeu (ut alii apud S.Bonaventuram loquuntur;) non habuit peccatum Originale actu; ſed ſolo debito: fluente ex tali modo propagatæ naturæ; non habuit peccatum Originale in effectu completum; ſed in cauſa initiatum: non in anima ſed in carne; ut in tertia hujus opuſculi di-

ſtinctione, ex ipſius S. Doctoris verbis explicabitur.

CAPUT QUARTUM.

Affertur Tertia Probatio, ducta ex objectionibus, ſibi objectis à S. Thoma: omiſſis verò illis; quæ à Pia ſententia pro Deiparæ a labe Originali Præſervatione afferri ſolent.

MOveor tertiò. Quia S. D. rationes quibus innititur Pia ſententia nec affert, nec ſolvit; ſed ſolùm eas; quibus probari poſset; aliquem poſse ſine peccato originali independenter à meritis & Gratia Chriſti, concipi; ſcil. vel, quia dantur qui non morientur; vel, quia ex baptizatis, ideoque carentibus culpa originali, videtur non poſse in prolem transfundi culpa Originalis: eò quòd nemo det quod non habet; & par ſit; juſtos ex juſtis generari; vel, quia Gratia Chriſti non in omnes tranſfunditur; proinde nec peccatum Adæ: vel, quia, Eccleſia, (quam non exaudiri, eſt inconveniens:) orat, in Oratione Dominica, remiſſionem de-

debitorum ; inter quæ eſt neceſſitas generandi cum Originali, quod ultimum objicit, q.4. de Malo: a.6. ubi ſatis multas objectiones affert ; quarum tamen nulla facit contra præſervationem per Gratiam à peccato : ut legenti patebit. Cùm Ergo S. Doctor nec in 1. Secundæ q. 81. a. 3. nec in 2. d. 31. q. 1. nec in quæſtione de Malo, citata ; (quibus locis probat, omnes ſeminaliter conceptos, contrahere peccatum Originale) nec in 3. p. nec in 3. utriuſque Scripti, ubi ſpecialiter tractat de ſanctificatione Deiparæ, rationes afferat, & refellat; quibus & jam olim probabatur, & nunc probatur, Pia ſententia de præſervatione Deiparæ : admodum veriſimile eſt ; nunquam S. Doctorem quidquam oppoſitum Piæ ſententiæ ſenſiſſe. Quod eo veriſimilius eſt : quò clariùs, piam ſententiam rationeſque pro ea afferri ſolitas, explicat ejus coætaneus S. Bonaventura, in 3. d. cit. q. 2. in c. *Quidam* (inquit) *dicunt : in Anima glorioſæ Virginis, Gratiam ſanctificantem prævenisse maculam peccati Originalis : tum propter authoritates SS. Auguſtini, & Anſelmi* : (quas ibidem affert) *tum*

pro-

propter rationes ; quarum Prima *est: quia inter extrema convenit ponere medium . Sed convenit ponere habentes peccatum Originale in anima & carne ; ut nos habemus ; & nec in anima , nec in carne habere : ut est Christus ; Ergo convenit aliquem habere hoc peccatum in carne , non in anima .* Secunda *: quia decebat Animam Gloriosissimæ Virginis excellentissimè sanctificari ; non solùm quoad abundantiam sanctitatis , sed & quoad accelerationem temporis ; tam propter Christi honorem quem decuit de Matre purissima concipi : tum ob singularem prærogativam Deiparæ , quæ debuit in sanctitate omnes superare ; tum ob Ordinis decorem ; ut sicut fuit persona immunis ab Originali in carne & anima , sive in causa & in effectu ; & sicut dantur personæ utroque modo habentes Originale ; sic etiam esset persona media , quæ haberet peccatum Originale in causa , & in carne ; non in effectu nec in anima .* Denique , addit idem Seraphicus Doctor ; *eosdem , qui hanc sententiam tuebantur , habuisse viam , qua , ostenderent Deiparam , etsi à peccato Originali immunem quoad animam , indiguisse Gratia Redemptoris ; & de facto redemptam esse : etsi aliter quàm*

nos:

nos : nam nos post casum erecti sumus at Deipara in ipso casu sustentata est, ne rueret; ut ita, peccati Originalis habuerit infectionem, non quoad effectum; sed quoad causam solùm. Has rationes, modumque salvandæ Redemptionis in Deipara à labe Originali præservata, nemo potest dubitare fuisse notissimas S. Thomæ; utpote in eadem Academia cum S. Bonaventura diu versato: cum ergo nullibi eas retulerit; nullibi refutaverit; videtur omninò, vel, consultò à tractatu de hac Præservatione, qua erat animi modestia, & in S. Bonaventuram veneratione abstinuisse; vel, judicasse: satis se suam, sententiam explicasse: cum Deiparæ puritatem, ad summum sub Deo puritatis, extulit; cùm eam, immunem à peccato originali disertè pronunciavit; cùm toties, dixit, Deiparam quoad carnem conceptam esse in peccato Originali. ut vel ex eo, solers Lector intelligere possit; S. Thomam fuisse Principem Doctorum illorum; qui dicebant, (teste S. Bonaventura:) Deiparæ carnem, non animam, conceptam esse in peccato Originali; seu qui dicebant;

Eam

Eam contraxiſse hoc peccatum in cauſa; non in effectu; in debito, non actu.

Hoc quod dixi; Confirmatur. 1. Quia S. Doctor in 3. d. 3. q. 1. a. 1. ql. 1. ad 2. ait: *Dicendum: quòd Gratia ſanctificans non omninò directè opponitur peccato Originali: ſed ſolùm prout peccatum Originale perſonam inficit; eſt enim Gratia, perfectio perſonalis: peccatum verò Originale, directè eſt vitium naturæ.* Ergo cum Deiparam dixit contraxiſſe peccatum Originale; in eo ſolo ſenſu locutus eſt: quòd, in carne contraxerit infectionem ex origine fluentem, excluſivam ſanctitatis per originem transfuſæ: non autem in eo; quòd contraxerit peccatum Originale, qua eſt infectivum perſonæ, & ſanctitatis per Gratiam, pro primo Inſtanti animationis, excluſivum.

Confirmatur 2. Quia & S. Bonaventura, & S. Thomas, in ſecundo, & 1. ſecundæ, docent de fide eſſe: omnes præter Chriſtum concipi in peccato Originali: cùm tamen S. Bonaventura, in 3. ſent. ſententiam, Deiparæ præſervationem negantem, quam ſequitur; ſolùm dicat communionem:

rationabiliorem: securiorem. Ergo signum est: S. Thomam, in 3. & in 3. p. nihil egisse contra præservationem Deiparæ; sed solùm docuisse: non fuisse eam ex vi Conceptionis sanctam: non fuisse, (quod aliqui hæretici docebant, & ex sanctificatione ante animationem, infert S. Bonaventura) conceptam ex Spiritu Sancto; neque à Parentibus accepisse justitiam Originalem; in eam, independenter à Gratia & meritis Christi, transfusam; in quo sensu in secundo sent. & in 1. secundæ docuerat cum S. Bonaventura, de fide esse; quòd omnes, excepto Christo, concipiantur in peccato Originali.

Confirmatur 3. Quia, S. Doctor, optime noverat, dari Gratiam Christi præservantem: 3. p. q: 27. a. 3. ad 3. & a. 5. ad 2. ubi ait: *in Deipara fuisse Gratiam Sanctificationis dispositivam per quam reddebatur idonea ad hoc: ut esset Mater Dei*: & q. 32. a. 4. ad 1. ubi dicitur *Spiritus S. purgans Virginem; id est præservans*: & 1. 2. q. 81. a. 5. ad 3. ubi cum S. Damasceno disertè profitetur, *Deiparam de qua Christus erat sine peccato Originali concipiendus, fuisse à Spiritu Sancto*

pur-

purgatione præveniente præventam: nec scio, an non respexerit, ad illa S. Damasc. verba: *Natura Gratiæ fætum antecedere non ausa, tantisper expectavit; dum Gratia fructum suum produxisset*: Idem agnoscit purgationem prævenientem: in 1. 2. q. 8. a. 5. ad 3. Idem q. 4. de malo: a. 6. ad 2. & 1. secundæ q. 81. a. 3. ad 1. docet: posse contingere; quod quis habeat necessitatem moriendi, qui tamen nunquam moriatur, Divina virtute eum protegente. Ex quo testimonio infert Cajet. in opusculo supra citato: *ut ad salvandum illum Scripturæ locum; Mors in omnes pertransit; sufficit intelligere mortis debitum; etsi quis actu non moriatur: ita sufficere ad salvandum illum Scripturæ locum, in quo omnes peccaverunt; debitum contrahendi in anima, peccati; etsi ob protectionem Gratiæ Christi actu non contrahatur*. Quod ipsum solidè illustrat doctissimus Theologus Seraphinus Capponi in citatam ex 1. 2. quæst. & in 1. p. q. 47. art. 1.

Confirmatur 4. Quia S. Doctor, & in 3. & 3. p. authoritatem Sancti Anselmi solùm restringit ad negationem sanctificationis ante animationem: seu

ſeu ſanctificationis quæ haberetur per originem, ex vi ipſius propagationis: & principiorum activorum generationis; ut quæ ſola derogaret dignitati Chriſti: & Deiparam extraheret ab indigentia Redemptoris: ut prolixè explicat, (præter Cajetanum in 3. p. in q. 27. & in 1. ſecundæ q. 81. & in opuſculo citato:) P. Seraphinus in eadem S. Thomæ loca.

Confirmatur denique: Quia quantum fieri poteſt, debemus à S. Thoma notam contradictionis arcere; præſertim ubi is nullam reliquit ſuæ revocationis ſignificationem: his, vel ſimilibus verbis: *etſi aliud alibi docuimus*, &c. Cùm ergò; quod in 1. Sent. docuit, nullibi apertè revocaverit: ita alia loca quibus videtur dicere oppoſitum, explicanda ſunt, ſi juxta continuam ejus doctrinam commodè explicari poſſit; ut illi loco non contradicant: quod in hoc opuſculo præcedenti diſtinctione fieri cœpit; & prolixius ſequenti fiet. Nunc breviter.

Infero primò: immeritò Illuſtriſſimum Cajetanum in Comno. 3. p. p. 27. docuiſſe: ſententiam docentem; Deiparam fuiſſe ſanctificatam in anima-

matione; per Gratiam præservantem tunc infusam; fuisse tempore S. Thomæ inopinabilem: ideòque ab eo non esse quæsitum. *An sanctificata fuerit in animatione:* immeritò inquam: cùm, ex allato S. Bonaventura pateat; fuisse, eorum tempore eos; qui hanc sententiam validè tuerentur: quorum principem fuisse S. Thomam, assequor ex modis loquendi ei usitatis: & refutatis à S. Bonaventura: passim enim S. Doctor in extollenda Deiparæ puritate utitur ratione ducta, vel ex convenientia; quia, talis puritas, & Filium Dei, & Matrem ejus, decebat: vel ex ejus supra omnes Sanctos excellentia: sæpè item dicit: carnem Deiparæ, conceptam esse in peccato Originali: quos loquendi modos fuisse eorum, qui tuebantur Deiparæ præservationem; patet ex citato S. Bonaventura. In quo summè confirmor; à doctissimo, & Piissimo Theologo, R.P. Luca Vaddingo, Ordinis Seraphici: qui, in Legatione Regis Catholici, Orat. 4. (nescio, suoné, an Illustrissimi Legati sensu) disertè scribit: S. Thomam, Primum inter Scholasticos, Piam Scriptis mandasse Sententiam, deinde si verè hæc senten-

tentia tempore S. Thomæ fuit, inopinabilis; non poteſt ſine gravi injuria S. Doctoris dici: eum fuiſſe Piæ Sententiæ contrarium: ſi nunquam contra eam diſputaverit.

Infero ſecundo: Dato non conceſſo, quòd S. Doctor aliis locis dixerit oppoſitum eis, quæ docuit in 1. ſent. non continuò cenſeri deberet priorem ſententiam retractaſſe: ſed dici poſſet problematicè locutus: ut expreſſe fatetur, operum ipſius Editor Venetus, in 4. in Quodlibetis: in margine: Quod libeto 6. de Feſto Conceptionis B. Virginis.

Infero 3. Paucos è veteribus Theologis præter S. Bonaventuram de hoc diſputaſſe: *An Anima Deiparæ fuerit per Gratiam Chriſti à labe Originali præſervata*: alii enim de hoc ſolo diſputabant: *An B. Virgo ex ipſa vi ſuæ originis, & naturæ in parentibus, perfectè curatæ concepta ſit Sancta*; vel, *an acceperit à parentibus, vel à Deo ad exigentiam diſpoſitionis parentum, juſtitiam Originalem; vel Gratiam ſanctificantem juſtitiæ tali æquivalentem: quod meritò negabant*.

Infero 4. Non bene Herveum, in 3.

Sent.

Sent. d. 3. q. 1. argumentari ſic: Caro Chriſti (ſecundùm Magiſtrum) in B. Virgine fuit ſub peccato Originali, Ergo, B. Virgo, in inſtanti creationis animæ, fuit ſub peccato Originali. Non bene (inquam;) quia, in eo, tranſitur ab infectione Carnis, ad infectionem Animæ: cum tamen hæc etiam poſt carnem infectam, Gratia Redemptoris, potuerit ab Anima arceri.

DISTINCTIO TERTIA.

Explicatur Angelici Doctoris ſententia de Peccato Originali : & in quo ſenſu , aliquot locis docuerit ; Deiparam habuiſſe Peccatum Originale.

CAPUT PRIMUM.

Præmittitur Doctrina S. Anſelmi, de Peccato Originali : quam omnes veteres Theologi Scholaſtici, propè ad verbum ſecuti ſunt.

QUoniam, omnes propè veteres Theologi, ſuas de Peccato Originali Concluſiones, ex principiis aſſumptis à S. Anſelmo, intulerunt : opere pretium facturus videor : ſi quæ is libro de Conceptu Virginali tradidit, de Peccato Originali ; compendiosè retulero.

Primò ergo docet in primo & secundo capite: *Originale peccatum in homine, denominari, ab origine humanæ naturæ: ita dictum; quòd ab ipsa humanæ naturæ origine trahatur: eò, quòd in singulos descendit à primis hominibus à quibus naturæ origo habetur.*

Secundò: *hoc peccatum dici naturale: non quod sit ex essentia naturæ; sed quòd propter ejus corruptionem, cùm ea assumatur.*

Tertiò: *duplicem dari justitiam hominis: alteram personalem; qua quis ex injusto fit justus: alteram Originalem; quam homo habuisset ex vi originis, si Adam non peccasset.*

Quartò: *Originale peccatum esse absentiam justitiæ, naturæ humanæ debitæ; quæ ei data est in primis parentibus, ut perpetuò in prolem transfundenda: & deinde eidem in eisdem perdita, cum impotentia ejusdem recuperandæ: & debito satisfaciendi in prolem transfuso.*

Quinto docet: *totam naturam humanam, in primis parentibus, extra quos non erat, infirmatam & corruptam esse: corpus quidem; quia post peccatum factum est simile corpori brutorum: corruptioni & carnalibus appetitionibus subjacens; animam verò; quia ex corruptione*

tione corporis, ejusque appetitibus; ipsa quoque carnalibus est infecta affectibus: & contraxit debitum justitiæ originalis integræ; & debitum satisfaciendi per certas pœnas, quas per peccatum incurrit.

Sextò: *Naturam Humanam, qualem se fecit peccando, talem propagari: ut si non peccasset; Adam, talis propagaretur, qualis à Deo facta est.*

Septimò. Cùm c. 3. & seqq. probasset; *non posse peccatum Originale esse, nisi in Anima Rationali: eò quòd semen hominis non sit susceptivum justitiæ; priusquam fiat homo,* Capite 7. quærit: *quomodo* Job. 14. *dicatur nos à Deo fieri mundos, ex immundo conceptos semine; & quomodo David* ℣. 5. *dicat: quòd in iniquitatibus conceptus sit: & quòd in peccatis concepit eum Mater eius:* & respondet infra: *dici aliquid esse, quando non est; si certò futurum sit. Ita ob necessitatem moriendi; verè dictum est Adæ: quacunque die comederis, morte morieris: non quòd eo die mortuus sit in corpore; sed quòd in illo necessitatem acceperit aliquando moriendi. Ita ob eandem, dicimur in Adam peccasse; non quia tunc peccavimus ipsi, qui nondum eramus: quando ille peccavit: sed quia*

de illo nascituri eramus , & tunc facta est illa necessitas ; ut cum primùm essemus ; per illius inobedientiam peccaremus . Ita dici potest , homo in iniquitatibus & peccatis concipi ; non quòd in semine sit immunditia peccati ; sed quòd ab ipso semine , & ipsa conceptione , ex qua incipit homo esse ; accipit necessitatem ; ut cùm primùm habebit animam rationalem , habeat peccati immunditiam. Hanc ipsam explicationem affert R.P. Seraphinus Capponi , in Elucid. 1. p. q. 97. a. 1.

Octavò , docet c. decimo & seq; quòd Deus dedit Adæ gratiam , ut si non peccasset , omnes quos generaret, simul ac rationabilem animam haberent justi essent : eadem quippe ratione , qua monstratur rationabilem naturam justam esse creatam ; ut , Deo fruendo , beata esset ; (quod addit . lib. 2. c.1. Cur Deus Homo : probatur etiam : quòd qui ex humana natura propagaretur , non præcedente peccato , ex necessitate justitiam pariter haberet cum rationalitate .

Nonò quærit c. 11. *An Christus de peccatrice massa assumens corpus , traxerit necessitatem peccati futuri : cum primùm esset animatum anima rationali :*

respondet negativè: *tum quia productio viri de sola Virgine, ita est miraculosa, ut creatio viri de limo: & productio mulieris de costa: ergo non subjacet legibus & demeritis propagationis Adæ, ut non subjacet creatio: tum quia* (addit c. 12.) *Adam ijs solis bona originalia perdidit; quibus ea non servavit, cum servare posset: servare autem ea iis solis potuit quorum generationis potestatem, suæ voluntati subjectam, accepit.*

Decimò: c. 13. & seq. docet: *Christum, etsi non esset Deus; sed purus homo; ex ipsa vi suæ originis, taliter necessariò fuisse concipiendum; qualiter justus Adam conditus est: ideoque nunc, etsi de massa peccatrice carnem assumpserit, non potuisse contrahere peccatum originale; quia de justo patre, secundùm Divinam, & de justa Matre, secundùm humanam naturam natus est.* Hæc S. Anselmus. Cui quàm consona doceat S. Doctor jam videamus.

CAPUT SECUNDUM.

Afferuntur quædam universalia de peccato Originali dogmata Angelici Doctoris.

I. ORiginale peccatum est: quod per Originem contrahitur: q. 4. de Malo. a. 1. sed con. & ad 1. *ita ut peccare originaliter, non aliud sit quàm communicare in culpa per originem* 1. 2. q. 81. a. 2. ad 1.

II. *Originale peccatum, est peccatum naturæ: seu naturale*. 1. 2. q. 83. a. 2. sed con. *seu: inordinata dispositio ipsius naturæ, proveniens ex dissolutione illius harmoniæ inferiorum potentiarum cum superioribus: in qua consistebat ratio originalis justitiæ*. ibidem q. 82. a. 1. c. & ad 2. *Quia enim, in Adam, & in proximis parentibus non fuimus secundùm communicationem personæ, sed tantùm secundùm communicationem naturæ: ideò peccato subtrahenti Donum Naturæ participamus: non peccato subtrahenti donum personæ*. q. 4. de Malo, a. 8. ad 10.

III. *Per se loquendo, non est peccatum personæ; nisi per accidens: secundùm quod dispositio naturæ redundat in* per-

personam : in secund. d. 30. q. 1. a. 2. ad 1. & d. 20. q. 2. a. 3. ad 1. *seu quatenus natura inficit personam*. q. 4. a. 1. c. *seu quatenus hæc persona, recipit naturam à primo parente*; 1. secundæ q. 81. a. 1. c. *Natura enim in plus est quàm persona: sed natura in persona considerata, includitur intra fines personæ: & per eum modum, persona potest inficere personam. Hinc quia à persona primi parentis, omnes qui ab eo seminaliter descendunt, accipiunt naturam humanam, quam ille primo habitam peccando infecit: ideò talis corruptio naturæ, derivatur ad omnes seminaliter ab Adam descendentes: ut si aqua corrumperetur in fonte; corruptio eius derivaretur ad omnes rivos ex fonte derivatos*. q. 4. de Malo a. 6. ad 9.

IV. *Transit in posteros, non per modum demeriti; sed per modum traductionis consequentis traductionem naturæ. Unde nascimur filij iræ per propagationem: non per demeritum Adæ: & traducitur non per traductionem sui subjecti, quod est anima rationalis; sed per traductionem seminis: quia, ex quo anima patris per peccatum infecta fuit, sequitur inordinatio in corpore: subtracto illo ordine, quem natura prius*

 con-

condita acceperat : *& ita etiam ex semine illo, generatur corpus tali ordine destitutum. Unde & anima, quæ tali corpori infunditur deordinationem culpæ contrahit, ex hoc: quod ejusmodi Corporis forma efficitur; cùm opporteat perfectionem perfectibili proportionari* in 2. d. 30. q. 1. a. 2. ad 3. *vel quia* (ad 5.) *forma recipitur in Materia secundùm conditionem ipsius materiæ*.

V. *Deus humanæ naturæ, in sui principio, contulerat quandam rectitudinem Originalis justitiæ: quam sine aliqua resistentia, inferioribus viribus imprimere posset. Unde factum est, ut primo homine peccante, natura humana, quæ in ipso erat, sibi ipsi relinqueretur: ut consisteret secundùm conditionem suorum principiorum: & per modum istum, ex actu personæ peccantis transiit defectus in ipsam naturam: & quia natura deficiens ab eo, quod gratis impensum erat, non potest causare hoc, quod supra naturam collatum erat; (cùm nihil agat ultra suam speciem) ideo sequitur, quòd ille qui generatur ab habente naturam, hoc modo deficientem, naturam in simili defectu suscipiat*. in 2.d.31.q.1.art.1.c.

VI. *Traductio ordinaria carnis est, sufficiens causa peccati originalis: ut*

tra-

traductio carnis, est sufficiens causa humanæ naturæ. q. 4. de Malo. a. 1. ad 3.

VII. *Originale peccatum, ordine generationis, & temporis, priùs est in carne, quàm in anima*. q. 4. de Malo. art. 3. c. *Ex hoc autem caro humana inficitur; quia per concupiscentiam generatur* 3. p. q. 31. a. 7. c. *Quæ corruptio in carne, etsi sit actus naturalis; est tamen intentione & virtute moralis; quia ex peccato primi parentis destituta est caro, illa virtute, ut ex ea possit decidi semen, per quod Originalis justitia in alios propagetur: & sic defectus hujus virtutis in semine est defectus moralis*. q. 4. de Malo art. 1. ad 9.

VIII. *Etsi caro nostra in sui natura bona est; tamen secundùm quòd est privata Originali justitia, propter peccatum primi parentis; sic causat originale peccatum*. q. 4. de Malo a. 1. ad 6. *causat, inquam, magis, ut consideratur in via generationis, quàm, ut unita*. ibidem ad 1. *causat autem per semen in quantum in eo motus est, & intentio animæ generantis, ut Adam*. q. 4. de Malo. a. 1. ad 16. & 8. *& quia peccatum originale est peccatum naturæ, primò infectivum carnis; ideo infectio ejus principaliter pertinet ad illas potentias, quæ habent*

aliquem ordinem ad actum, quo natura traducitur in 2. d. 31. q. 2. a. 2. c.

IX. *Non pertinet ad animam originale peccatum; nisi qua est pars humanæ naturæ: humana autem natura fuit originaliter in Adam, secundùm carnem: & secundùm dispositionem ad animam; & secundùm hoc, homo dicitur peccare in Adam.* q. 4. de Malo. a. 3. ad 2.

X. *Infectio naturæ non transit ad animam, nisi per actum generationis, quæ est actus naturæ: & ideò non transit in animam generantis, sed geniti, qui est terminus generationis.* q. 4. de Malo. a. 6. ad 10. *incipit autem anima pertinere ad naturam ab Adam tractam, ex hoc; quòd corpori genito cum concupiscentia uniatur.* in 2. scripto l. 2. d. 32. q. unica a. 2. sed con. 2. *& inficitur ex unione ad corpus:* ibid. & q. 4. de Malo. a. 3. ad 1. & in 2. d. 31. q. 2. art. 1. c. *Neque tamen potest dici, quòd anima per infusionem maculetur; sed solùm habito respectu ad corpus, cui infundi ur.* 1. 2. q. 83. a. 1. ad 4. *& habet rationem culpæ per relationem ad primum principoum vitiatæ originis.* 1. 2. q. 82. art. 4. c. *Neque malum est animæ, infundi carni taliter infectæ, ejusque in-*

infectivæ ; cùm ei melius sit , sic esse ; quàm simpliciter non esse : cùm possit per gratiam evadere damnationem . 1. 2. q. 83. a. 1. ad 5.

XI. *Defectus originalis justitiæ , homini in sua Creatione collatæ , ex voluntate primi hominis , accidit : & sicut illud naturę donum fuit & fuisset , in totam naturam propagatum , Adamo in justitia persistente : ita & privatio illius boni in totam naturam perducitur ; quasi privatio & vitium naturæ : (ad idem enim genus , privatio & habitus referuntur :) & in quolibet homine rationem culpæ habet , ex hoc ; quod per voluntatem principij naturæ , idest , primi hominis , inductus sit talis defectus .* in 2. d. 30. q. 1. a. 2. c.

XII. *Duplex pœna debetur originali : una , in quantùm personam inficit , scilicet carentia Divinæ visionis &c. alia debetur ei in quantum naturam inficit , ut necessitas moriendi , passibilitas , rebellio carnis , fomes , &c. quæ omnia ex principio naturæ causantur : & speciem totam consequuntur , nisi miraculosè aliter contingat . baptismus infectionem culpæ originalis mundat , secundùm quod infectio naturæ in personam redundat ; non autem removet in-*

fectionem naturæ secundùm quod ad naturam per se refertur. in 2. d. 32. q. 1. a. 2. c.

XIII. *Per baptismum gratia confertur: cuius virtute illa infectio ab homine tollitur, quæ ex natura sua in personam devolvebatur. & secundùm hoc anima purgatur à macula culpæ: & per consequens: solvitur reatus pœnæ*. ibid. a. 1. c. *quæ tamen gratia nunquam facere potest, ut ex toto tollat fomitem: (cujus concupiscentia, si à baptizato totaliter tolleretur; is sine peccato Originali liberos generaret*: ibidem a. 2. sed cont. & locis suprà citatis) *quia non est ordinata, nisi ad curandam infectionem personæ, ex infectione naturæ procedentem. posset tamen Deus alterius generis gratiam infundere; per quam tolleretur simul infectio personæ: & naturæ*. ibid. a. 2. ad 5.

XIV. *Gratia, natis ex justo Adam, non foret naturalis; quia non esset transfusa per virtutem seminis; sed conferretur homini statim, cùm haberet animam rationalem: ut, cùm corpus est dispositum infunditur à Deo anima rationalis, quæ non est ex traduce*: 1. p. q. 100. a. 1. ad 2. *Duplex enim justitia primo homini poterat convenire*: (in 2. d. 20. q. 2. art. 3.) *una Originalis;*

lis ; quæ erat ſecundum debitum ordinem corporis ſub anima , & animæ ſub Deo : & hæc ipſam naturam humanam ordinabat , ex divino munere : eamque Adam transfudiſſet in poſteros : alia gratuita : ad eliciendos actus meritorios data ; quam (dicit ibidem S. Doctor) *aliqui cenſebant infundendam, cum tranſfuſione naturæ ; cui ,* (additur ibid. ad ult. *ex proviſione divina , Gratia debebatur ; aliqui negabant .*

CAPUT TERTIUM.

Oſtenditur S. Doctor nullibi contradixiſſe piæ ſententiæ; neque ſibi in 1. *Sententiarum .*

EX his , quæ tum S. Doctor , tum S. Anſelmus , de peccato Originali docent , facilè ; Intelligitur *primò*, quàm apud veteres Theologos concipi ſanctum ; vel concipi ſine labe originali , longè aliud fuerit , à gratuita alicujus à labe originali , per gratiam Christi , præſervatione ; quam Pia ſententia Deiparæ tribuenaum , docet . Nam primo apud S. Doctorem , alioſque Veteres Theologos , in ſanctitate Conceptionis , nulla fit mentio Gra-

tiæ Christi; sed sistitur in principiis naturæ, per quæ aliquis, ex vi, & modo ipsius conceptionis, independenter à meritis, & gratia Christi, concipiatur sanctus; idest, aut cum justitia originali; aut cum gratia, ad congruentiam talium dispositionum infusa: ita, ut apud eos, concipi sine labe originali, nihil aliud fuerit quàm ex vi originis habere sanctitatem: vel donum quoddam naturæ, ejus principio activo, ad transfundendum in posteros datum, uti patet, ex applicatis primis propositionibus S. Anselmi, & S. Thomæ. Pia autem sententia, & S. Doctor in 1. sent. Deiparæ immunitatem à labe originali fundant in præservatione, per ipsissimam gratiam Christi: *Secundò*. apud S. Doctorem, peccatum Originale magis pertinet ad naturam, quàm ad personam: magis ad carnem, quàm ad animam: & primò inficit carnem, post animam; per ipsam unionem, ad infectam carnem seminaliter conceptam: *quia* (ut docet in 2. Scripto l. 2. d. 30. q. unj. a. 1. ad l. *anima primi hominis, peccando, infecit corpus; corpus autem infectum traducitur, cum infectione libidinis semi-*

natum ; ex qua infectione contingit etiam animam infici : quia forma sequitur modum materiæ: & ; *quia* (addit ad 2.) *quod recipitur in altero ; per modum recipientis recipitur* ; &, *quia*, (ait idem ibid. 32. q. un. a. 2. sed con. 2.) *anima ex hoc, quòd unitur Corpori* (genito ſeminaliter) *incipit pertinere ad naturam tractam ex Adam* : Pia autem ſententia, ut Deiparæ Animam & Perſonam a macula originali excipiat; minùs de hoc ſollicita eſt, fueritnè B. Virginis caro ab omni macula, pura, an non; (etſi & hoc aliqui affirmativè defenderint; ut patet ex ſuprà dictis, de Argentina, & Vorillone) ſed tota verſatur in hoc; ut, (quidquid ſit de infectione carnis, & debito contrahendi peccati originalis,) probet: de facto, Deiparæ animam, tempeſtivo Gratiæ Chriſti ſuccurſu, præventam eſſe : ne peccatum originale, quod ejus carnem ſeminaliter tractam infecerat ; devolveretur in animam, & perſonam ejus ; in quas alioqui illud, ex vi originis & deficientis principii generantis, devolvi oporteret. *Tertiò*. S. Doctor, & alii dicunt, peccato originali corpus infici ex eo ; quòd in ſemine certæ, ad ju-

justitiam originalem in prolem transfundendam; requisitæ dispositiones, quæ statui innocentiæ aderant, desint: animam verò ex eo; quia fit forma infecti corporis; Pia autem sententia carnis infectæ ne meminit quidem: animam verò rationalem, non habere, vel habere peccatum originale, dicit; ex præsentia, vel absentia gratiæ: animæ, in primo ejus cùm carne unionis instanti infusæ: vel non infusæ. *Quartò*, S. Doctor & alii loquuntur de peccato originali qua per se, & principaliter infectivo naturæ, quod per ordinariam generationem una cum natura transfundatur: sitque ab ordinaria generatione, non per gratiam Christi, sed sola vulneris naturæ in parentibus curatione, separabile: per accidens verò, & consequenter, de eodem, ut devoluto in animam, & personam, per solam gratiæ infusionem curabili: Pia autem sententia solùm loquitur de eo; ut de peccato infectivo animæ, & personæ, per gratiam in primo instanti animationis infusam, impedibili. *Quintò*. S. Doctor, peccato originali, de quo loquitur; negat, opponi directè gratiam: loco citato suprà. Pia
au-

autem ſententia non in alio principio fundat Deiparæ à labe originali præſervationem, quàm in gratiæ Chriſti, Deiparæ in primo inſtanti animationis infuſæ, oppoſitione: & cum peccato Originali incompoſſibilitate: quam ei tunc infuſam cenſet à Filio quòd ad ejus honorem pertinebat, ne Mater Filii Dei, vel pro uno momento præda eſſet illius ſerpentis, cujus caput ab ea conterendum prædixerat Deus. *Sextò*. S. Doctor loquitur de peccato Originali, à quo immunitas potuit haberi, non per gratiam; ſed aliis modis recenſitis in hoc opuſculo: diſt. 2. cap. 1. & 2. Pia verò ſententia loquitur de peccato Originali, à quo, è genitis modo ordinario, nemo poſſit fieri immunis, niſi per gratiam ſanctificantem. *Septimò*. S. Doctor loquitur de peccato Originali: cujus infectio, per gratiam, quæ nunc datur, totaliter tolli non poteſt, niſi per extraordinariam gratiam, defectus infectionis naturæ tollatur à parentibus. Pia autem ſententia, eam ſolam infectionem arcet à Deipara, quam nunc in infantibus totaliter tollit baptiſmus, idque ſolùm vult in Deipara primò animata, per gratiam

Chri-

Christi præservantem impeditum esse, quod in infantibus per baptismum tollitur. *Octavò*. S. Doctor loquitur de peccato Originali, à quo nec ipsum Verbum Incarnatum si ordinario modo conciperetur, potuisset esse liberum. Pia sententia loquitur de peccato, quod Verbum Incarnatum etiam connaturaliter conceptum, contrahere, fuisset impossibile.

Intelligitur secundò: qua ratione, sine ulla contradictione S. Doctor alicubi asseruerit; Beatam Virginem fuisse immunem à peccato Originali, & actuali; utpote puritate, quoad recessum à malo, uni Deo secundam: Deique puritate, sola potentia deficiendi, inferiorem: alicubi autem conceptam esse in peccato Originali. Ubi enim dixit immunem esse à peccato originali, locutus est de Immunitate facta per gratiam Redemptoris, præservantem Deiparæ Animam à peccato Originali, quatenus erat devolubile, in animam, & personam, in circumstantia absentiæ gratiæ sanctificantis: pro primo animationis instanti non infusæ. Ubi verò dixit conceptam esse in peccato originali; vel, contraxisse peccatum originale;

lo-

locutus est: vel in sensu, in quo S. Anselmus interpretatus est verba S. S. Job & Davidis; quòd scilicet in conceptione suæ carnis, & ante animationem, cum parentum semine traxerit necessitatem, peccati, cum rationalitate contrahendi: quantum est ex se; & nisi gratia Redemptoris sui tempestivè præveniretur: vel, (quod in idem recidit) solùm voluit B. Virginem Deiparam, nec, vi naturalium generationis principiorum, neque ex modo suæ propagationis, fuisse sanctam: quomodò sancta fuisset si virtute Spiritus Sancti ex sola Virgine concepta fuisset: vel quomodo geniti fuissent sancti; qui descendissent ex non peccante Adam, vel qui descenderent ab eo, miraculoso generationis modo, non subjacente legibus, & demeritis ordinariæ propagationis: vel denique locis omnibus, quibus S. Doctor Piæ sententiæ, sibique videtur contradixisse; solùm voluit Deiparam habuisse peccatum originale, ut est infectivum carnis seminaliter receptæ, cum proximo & necessario periculo maculæ in animam derivandæ; ni gratia Redemptoris præveniretur: non autem, ut est gratiæ Chri-

ſti, ab anima Deiparæ, pro primo ejus vitæ inſtanti, excluſivum; & tale, quale Pia ſententia à Deipara arcet. Hunc ſenſum, verborum S. Doctoris.

Colligo 1. ex quæſtionibus & dogmatibus ejus de peccato Originali, & de Beata Virgine. Quæſtiones ejus de B. Virgine, ut vidimus ſunt: *An fuerit in parentibus, vel in meritorio actu conjugali, antequam conceptio carnis eius finiretur, vel ſaltem ante animationem, ſanctificata. An feſtum Conceptionis ejus,* (qua ſcilicet ſanctificatæ ante animationem) *liceat celebrare.*

Quæſtiones verò de peccato Originali inter alias ſunt: *Quare baptizati non transfundant in prolem novitatem Adæ novi; cùm veteris tranſmittant vetuſtatem.* Item, *an ſubjectum Originalis peccati, per prius ſit caro, quàm anima. An ad vegetativas potentias maximè pertineat infectio hujus peccati. Quare ſemen ſit cauſa peccati Originalis; cùm in eo non magis videatur hæc cauſalitas eſſe, quàm in ſputo: an, & quare, aliquis conceptus ex digito non contraheret peccatum originale.* Quarum & ſimilium quæſtionum neceſſarius eſt uſus in ſermone de peccato Originali, in ſen-

ſenſu explicato. Meritò enim quæritur: An Deipara ſit ſanctificata in parentibus; vel in uſu conjugii; vel ante finitam carnis conceptionem; vel ea finita, ante animationem: ſi cenſeri debeat ſancta ex vi originis, & ob principiorum generantium ſanctitatem. Quia ita ſancta non aliter potuit eſſe, quàm, vel ut parentes ejus ſuam perſonalem juſtitiam in eam transfunderent: vel, ut eorundem coniugii uſus depuraretur, non ſolùm à concupiſcentia actuali; ſed etiam habituali per reſtitutam conjugibus naturæ integritatem, ab Adam perditam & infectam; vel, ut caro ejus ab omni morbida qualitate ita depuraretur, ut ſecum non traheret neceſſitatem inficiendæ animæ, eam recipiendo. Similiter quæſtionum de peccato Originali in eodem ſenſu plurimum eſſe uſum; applicanti manifeſtum eſt. At ſi peccatum originale ſumatur tale; quale à Deipara Pia ſententia arcet; nullus eſt harum quæſtionum uſus. Certum enim eſt, in eo ſenſu ſumpti peccati Originalis, neque carnem poſſe eſse ſubjectum, neque ſemen cauſam: cùm nunc conſtet Chriſtum, ſi fuiſset genitus ſemi-

naliter, nòn eſse contracturum peccatum Originale, tale, in quali Deipara negatur eſse concepta. Certum item eſt Piam ſententiam non habere uſum quæſtionum, de ſanctificatione Deiparæ, in parentibus; vel ante animationem; ſed ſolùm, an in primo inſtanti animationis, anima ejus, gratia Redemptoris præſervata ſit à culpa Originali.

Colligo idem ſecundo ex verbis S. Doctoris jam citatis. in 2. d. 31. q. 1. a. 2. c. *Si defectus peccati Originalis*, (quòd ibi ſæpè dicit, eſse defectum juſtitiæ, per Originem transfuſæ) *non traduceretur in aliquem*; (ſermo eſt de homine modo communi genito) *hoc non poſſet contingere; Niſi per Hoc*; (attendamus quid dicat: quodque adeò univerſaliter excipit) *quòd natura generantis perfectè redintegrata eſſet*. Idipſum repetit in ſecundo ſcripto, lib. 2. d. 31. q. unica. art. 4. c. *Non poteſt*, inquit, *contingere quòd aliquis actu naturæ, ex alio propagetur ſine Originali peccato; niſi ponatur natura in generante totaliter eſſe purgata: non ſolùm perſona: quod ſimul debet eſſe in omnibus, qui naturam participant: & hoc erit in reſurrectione: &*

ideo

ideo ante resurrectionem communem, nullus qui per actum naturæ generatur; potest concipi sine peccato Originali. Hæc ille. Ex quibus sic arguo. Illud solùm peccatum originale ad omnes homines Christo excepto, extendit S. Doctor: cujus infectionem, ab homine modo communi genito, sola posset avertere integritas naturæ generantibus restituta: (Hoc enim omninò sonant verba illa: *Nisi per hoc: non potest contingere nisi ponatur &c.* Ergo quando & ubi ait Deiparam, contraxisse Originale peccatum; non loquitur de illo peccato, quod avertere potuit, à Deipara Redemptoris gratia, animæ ejus tempestivè infusa; sed solùm de eo, quod ab ea non potuit amoveri, nisi per restitutam parentibus ejus Naturæ integritatem. Noverat benè sanctus Doctor; posse aliquem etiam modo communi genitum, præservari à peccato Originali, vel per unionem hypostaticam, vel per gratiam sanctificantem tempestivè infusam; & tamen satis clarè denunciat: Nullo Alio Modo posse ab aliquo peccatum Originale averti, nisi per restitutam naturæ integritatem: nimirum, ubique idem apud eum erat:

concipi ſine peccato Originali; quod, habere juſtitiam vel gratiam, ex vi originis, & principiorum generantium: infuſionem gratiæ ex certarum diſpoſitionum connaturali conditione exigentium, quod meritò omnibus, Chriſto excepto, negat: quia ſolus Chriſtus ex Spiritus S. conceptus eſt, ex ſola Virgine ideoque ex vi ſuæ Conceptionis, & principiorum generantium ſolus Sanctus: ſolus nullo modo peccavit in Adam: quia ei loco ſeminalis rationis, fuit virtus activa Spiritus S. ait S. Doctor in cap. 5. ad Rom. Lect. 3.

Colligo 3. ex eo, quia immunitatem à peccato Originali, Chriſto, non alia de cauſa tribuit idem S. Doctor; quàm quia de Virgine natus eſt, aſſerens locis jam citatis, ne Eum quidem labe Originali fuiſse cariturum, ſi non ex Virgine, virtute Spiritus S. conceptus fuiſset. Quod dum aſſerit, primùm planè eodem modo, quo S. Anſelmus profitetur: Chriſtum, futurum fuiſse in ſua Conceptione ſanctum, præcisè ex vi principiorum, ad ſui conceptionem activè concurrentium, etſi per impoſſibile Deus Homo non eſset. Deinde innuit: quòd

quòd etsi Deus Homo , modo communi conceptus , non posset pro ullo vitæ suæ momento carere gratia sanctificante: non tamen esset ex vi originis,& principiorum ad eam activè concurrentium sanctus: sed ad eum modum,quo Deipara à labe originali pręservata dicitur.Hoc ergo S.Doctor censet proprium soli Christo: quòd fuerit ex vi suæ originis Sanctus: utpote conceptus virtute Altissimi: ex Matre , non solùm immuni à concupiscentia actuali, sed & habituali: quam in secunda sanctificatione penitùs sublatam; docuit 3. p. q. 27. a. 3. & locis ibi in margine citatis.

Colligo 4. Quia S. Doctor , nullibi ex negatione gratiæ præservantis: sed solùm vel ex non sanctificatione ante animationem, seu, ex non transfusa in prolem justitia parentum personaliter justorum , vel ex non curato naturæ in Adam infectæ vitio , vel ex infectione carnis per vitiatam originem acceptæ ; infert: Deiparam culpam originalem incurrisse: & gratia Redemptoris indiguisse: Ergo nullibi S. Doctor negavit: Deiparam à labe originali esse gratia Redemptoris præservatam: sed solùm negavit ;

eam

eam ex vi originis & principiorum ad eam activè & connaturaliter concurrentium, esse sanctam. Nam in eo solùm sensu, Redemptore non indiguisset Deipara: quia tunc, neque carnis, neque animæ haberet infectionem: seu (ut loquuntur aliqui apud S. Bonaventuram) neque in effectu peccatum Originale contraheret, neque in causa; seu, uti nunc loquimur; tunc Deipara libera foret non solùm à peccato originali, sed & à necessitate, vel periculo ejus contrahendi: cui, in ea suppositione, nullatenus obnoxia esset; ideoque non indigeret, habere ex gratia Redemptoris; quod haberet ex vi originis, & principiorum naturæ: nec indigeret sanctificatione; si ex vi originis ita totaliter conciperetur sancta; ut Conceptus Christus: & ut omnes posteri Adæ conciperentur, eo non peccante. Insuper observandum est: quòd causa conceptionis in peccato originali ea sæpissimè detur à S. Doctore; quòd, ut in hominibus non potest esse sine libidine concubitus; ita nec sine peccato conceptus. 4. de Malo, a. 6. sed Con. & 3. p. q. 27. a. 2. ad 4. & alibi. hinc enim patet, non

loqui

loqui eum de peccato originali, ut ſignificante abſentiam gratiæ ab anima primò corpori unita; ſed ſolùm ſignificante defectum transfuſionis gratiæ in prolem, ob non curatum naturæ vulnus, maximè in concupiſcentia originativa carnis conceptæ, elucens.

Colligo 5. idipſum. ex omiſſione argumentorum contra eam, & pro ea afferri ſolitorum. Si enim S. Doctor negaſſet Deiparæ à labe originali, quà animæ & perſonæ infectiva eſt, præſervationem per gratiam Chriſti; non probaret id per argumenta, quæ ſolùm probant: Deiparam contraxiſſe labem originalem, qua eſt infectiva carnis & naturæ, & excluſiva ſanctitatis à parentibus in prolem transfuſæ: neque toties urgeret in parentibus etiam ſanctis non curatum naturæ vulnus: ſed urgeret incompoſſibilitatem peccati originalis cum gratia pro primo inſtanti animationis: quod tamen nullibi fecit. Indigentia enim Redemptionis univerſalis, & derogatio dignitatis Chriſti, nihil faciunt contra præſervationem: ut jam ſæpiùs oſtenſum eſt hìc: & à Cajetano in opu-

ſculo Leoni X. dedicato; & in Comment. 1. 2. q. 81. a. 3. & 3. p. in q. 27. a. 2. & ipſe S. Doctor hoc utrumque affert, contra ſanctificationem carnis ante animationem: qua fieret, ut Deipara, Nunquam, & Nullo modo contraheret peccatum Originale; ideòque ita constitueretur extra indigentiam Redemptoris, ut conſtitueretur extra omne debitum & periculum contrahendi in anima & perſona peccati Originalis. Deinde ſi ſanctus Doctor negaret Deiparæ præſervationem à labe, quam Pia Sententia arcet à B. Virgine; afferret, & refelleret aliquod argumentum ex iis, quæ pro ea faciunt; & impugnaret modum ſalvandæ Redemptionis per præſervationem: qui jam ejus temporibus, teſte S. Bonaventura, à Theologis Piam ſententiam tuentibus, adhibebatur; quod tamen nuſquam fecit.

CAPUT QUARTUM.

Proponuntur, & ſolvuntur: in communi: verba S. Thomæ, quæ piæ ſententiæ videntur adverſari.

IN triplici differentia ſunt teſtimonia, quæ ex S. Doctore contra Piam ſententiam afferuntur. Quædam ſunt univerſalia ut 1. 2. q. 81. a. 3. & 3. p. q. 31. a. 8. c. & multis aliis locis; (quæ ſtudiosè in ſuum indicem, V. Conceptio, collegit Bergomenſis) in quibus docetur: ſecundùm fidem Catholicam firmiter eſſe tenendum; quòd omnes homines ex Adam deſcendentes, ſolo Chriſto excepto, peccatum Originale, contrahant: quia ſecus non indigerent redemptione, quæ eſt per Chriſtum.

Hoc teſtimonium, ſi ſumatur, ut communiter explicatur; Sanctum Doctorem in grave coniicit periculum. Nam qui alicubi affirmat, quod eſt contra Catholicam fidem, eſt hæreſeos reus. Sed ſi teſtimonium allatum ſumatur, ut communiter explicatur; S. Doctor alicubi affirmavit aliquid,

quod est contra fidem. Ergo si hoc testimonium ita, ut dixi, sumatur S. Doctor fiet hæreseos reus: Minor probatur. Qui affirmat aliquem præter Christum esse à peccato originali immunem, is, juxta hoc testimonium vulgariter explicatum, affirmat aliquid, quod est contra fidem. S. Doctor in 1. sentent. affirmavit; aliquem præter Christum esse ab hoc peccato immunem, nempè Matrem Dei Purissimam. Ergo &c. Rursus: qui affirmat aliquid esse de fide, quod Synodus Tridentina negat esse de fide, non leviter errat. Qui affirmat, de fide esse omnes, excepto Christo contrahere peccatum Originale, affirmat aliquid esse de fide, quod dicta Synodus negat esse de fide. Ergo &c. Ne igitur tantam notam incurrat S. Doctor, omnibus ejus discipulis hæc loca explicanda sunt, ut explicat Eminentissimus Cardinalis Cajetan. in Comment. 1.2. q.81. art. 1.& 3. locutum S. Doctorem de debito, & obnoxietate contrahendi peccati; non autem de peccato actu contracto; alii locutum eundem dicunt: de jure, non de facto; quod fortasse phrasi S. Doctoris eloquerentur; si dice-

cerent ; locutum ſecundùm legem communem , non ultra eam : cùm tamen B. Virgini aliquid ultra legem communem conferendum fuerit ; teſte S. Doctore in 3. d. 3. q. 1. a. 2. qla. 1. argumento ſed cont. & 3. p. q. 27. a. 1. c. vel ſi dicerent locutum eſſe, quantùm eſt ex vi originis, & quoad demonſtrationem ſimplicem , non quoad demonſtrationem perſonalem : quibus verbis S. Doctor , quodl. 5. a. 8. ait : intelligenda verba S. Gregorii, dicentis : Adam non peccante , ſolos ab eo electos genitum iri . Et ſanè ea diſtinctio non deberet rejici , cùm & diſertiſſimè ſit S. Thomæ : & ſufficienter ejus locutiones univerſales explicet : eumque à periculo omnis erroris eximat . Loquendo tamen conſequenter ad præmiſſa , videntur ea verba ita commodè explicari poſſe . Secundùm fidem Catholicam tenendum eſt. Chriſto excepto , omnes homines cum concupiſcentia deſcendentes ab Adam, non eſſe , ex vi ſuæ originis ſanctos : nec accepiſſe à parentibus juſtitiam per originem transfuſam : neque ex vi & modo propagationis habuiſſe conditiones infundendæ gratiæ exigitivas : quas habuiſſet : quicunque ab Adam non

peccante descendissent: vel quas haberent; quia ita, ut est conceptus Christus, conciperentur. Hoc & temporibus S. Doctoris erat de fide: & modo est: nam etiam nunc de fide est: nemini orto ex Adam, dari gratiam, nisi per Christum. Atque ideo, si ita verba S. Doctoris explicentur; neque sibi S.Doctor contradicet, neque ullam incurret notam. Nam & nunc Catholici credimus; Deiparam nullam habere gratiam ex vi suæ Originis, & independenter à meritis Christi: & immunitatem à labe Originali habere ex gratia Christi præservante. Quapropter optimè dici potest, S. Doctor in Primo Sententiarum, locutus esse de immunitate Deiparæ à labe originali, ut nunc de ea Pia Sententia loquitur: & eius tempore Sententia minùs communis, teste S. Bonaventura, loquebatur: quatenùs scilicet significat, eius per gratiam Christi præservationem, ne in anima contraheret peccatum Originale, cuius contrahendi necessitatem, ipsa sua ordinaria conceptione, & carnis à parentibus acceptæ infectione, incurrerat: aliis autem locis, loquitur de immunitate à labe Originali, quæ fieret ex vi ori-

originis, & naturalium principiorum ad eam activè concurrentium: easque ponentium conditiones, quibus ita aliquomodo deberetur infusio gratiæ; ut certis dispositionibus debetur creatio animæ: ut innuit S. Doctor 1. p. q. 100. a. 1. ad 2. Nam & S. Bonaventura, etsi æquè ac S. Doctor (ut jam supra dixi) asserat; secundùm fidem Catholicam tenendum esse, omnes posteros Adæ, excepto Christo; incurrere peccatum Originale, quando tamen negat, Deiparæ animam esse per gratiam Christi ab originali præservatam; non dicit hoc esse de fide: sed tantùm sententiam, quàm sequitur, esse communiorem, & rationabiliorem. Ex quo manifestum fit, temporibus S. Thomæ, & Sancti Bonaventuræ, aliud fuisse concipi sine labe originali; aliud ab ea præservari: illud dicebat justitiam à prole ex vi originis, & principiorum naturalium, independenter à meritis Christi acceptam; hoc verò gratiam proli in instanti primo animationis propter merita Christi infusam: qua fieret ne infectio peccati originalis in carne jam initiata, in animam, & personam, maculam devolveret, illud

de Deipara dici non potuit, nec modo dici poteſt ſine errore; hoc, verò olim ſententia erat minus communis: nunc communiſſima: & vix non Catholica. Atque hunc ipſiſſimum eſſe ſenſum univerſalium harum S. Doctoris propoſitionum, ſuadent ipſæmet ejus rationes, quæ ad eas probandas adducuntur. Ratio enim ex indigentia Redemptoris ſumpta, ut jam ſæpè dixi, accito etiam in teſtimonium & probationem Cajetano, nihil facit contra præſervationem: ſed ſolùm contra aſſerentes dari aliquem, præter Chriſtum, qui non fuerit peccato originali obnoxius. Neque hoc ex me habeo; ſed ex ipſo S. Doctore, qui in 2. d. 31. a. 2. in ſed contra ſecundo ita loquitur. *Ille qui non eſt peccato obnoxius, Redemptione non indiget*. & 3. p. q.27. a. 2. c. in ſecundo argumento: tolli, ait, indigentiam Redemptionis per hoc: ſi proles concepta quoquo modo eſſet ſanctificata ante animationem: quia Non Eſſet Culpæ Obnoxia. En loco maximè controverſo, negationem indigentiæ Redemptoris, refert S. Doctor non in immunitatem à labe Originali: ſed in immunitatem obno-

noxietatis. Idem ſubinde pro eodem ſumit: eſſe peccato Originali infectum, & eſſe ei obnoxium: nam in ſecundo Scripto d. 31. a. 4. in uno argumento infert; Ergo omnes excepto Chriſto ſunt Originali peccato obnoxii: & rurſus ibidem; Ergo omnes qui deſcendunt ab Adam, contrahunt peccatum originale. & 3. p. q. 31. a. 7. proponit: An caro Chriſti, prout fuit in patribus, fuerit peccato obnoxia; & in argumento ſed contra, infert. Ergo caro Chriſti ſecundùm quod fuit in patribus, fuit peccato obnoxia: Et tamen in primo argumento ſic proponit: videtur: quòd caro Chriſti non fuit in patribus infecta. & concludit. Ergo caro ejus nunquam fuit peccato inquinata. Ergo patet S. Doctorem, ſaltem, quando loquitur de Deipara; pro eodem ſumere, infici peccato Originali, & ei obnoxium eſſe; ideoque indigere Redemptore: ut ita, ipſo S. Thoma teſte, argumentum ſumptum ex indigentia Redemptoris, non faciat contra immunitatem à labe Originali, cauſatam ex præſentia gratiæ Chriſti præſervantis: ſed solùm contra immunita-

tem, quæ ex vi originis fluat, & prolem conceptam non solùm ab ipsa contractione actuali peccati, sed & ab obnoxietate ejus contrahendi excipiat. Jam, cùm idem easdem propositiones universales probat per hoc; quia ut peccatum actuale tribuitur manui, ut est aliquid hominis, & movetur à voluntate peccaminosa; ita originale omnibus descendentibus ab Adam: quia in generatione, ejus voluntate moventur: voluntate, inquam, debitrice transfundendæ in prolem gratiæ; quam tamen non transfundit; quia vim ejus transfundendæ, Adam, & sibi, & omnibus perdidit parentibus: non probat, non posse Deum prolem cum debito peccati Originalis contrahendi conceptam, gratia in primo instanti unionis animæ infusa præservare; ne tale peccatum, in animam, vel personam devolvatur: sed solùm probat neminem parentum, generatione quantumvis meritoria, sed non depurata ab habituali vel radicali concupiscentia, transfundere in prolem justitiam; quam, Adamo non peccante, generatio à tali concupiscentia libera transfudisset. Hanc res-

pon-

ponsionem probat dogma à S. Doctore 1. 2. q. 81. a. 3. ad 2. in fine, pro eadem universali propositione adductum; *Parentes*, inquit, *non generant in quantùm sunt renovati per baptismum, sed quatenùs retinent fomitem, qui est inordinatio partium inferiorum animæ. Ergo omnes seminaliter descendentes ab Adamo concipiuntur in peccato Originali*. Hæc ratio manifestissimè solùm probat; parentes baptizatos in prolem non transfundere gratiam, quam in baptismo ipsimet acceperunt: quia hæc gratia est personalis, non naturalis: ideoque cum natura non transfusibilis. Ergo hoc ipsum solùm aliæ quoque probant rationes. Denique cùm idem S. Doctor in 3. sent. d. 3. q. 1. a. 1. ad 3. ait: (*Dicendum, quòd concubitus, quo B. Virgo concepta fuit meritorius creditur, non per gratiam purgantem naturam; sed per gratiam perficientem personas parentum: & ideò non oportuit, quòd in prole concepta statim sanctitas esset; non ob repugnantiam actus Matrimonij ad sanctitatem, sed ob repugnantiam, vitij naturæ nondum curati*:) clarissimè indicat: se Deiparæ non in alio sensu tribuere peccatum originale, quàm quod non

 ac-

acceperit à parentibus, etsi sanctis, & sanctè Matrimonio utentibus, transfusam in se sanctitatem: ea sola de causa, quòd non habuerint gratiam purgantem Naturam, sed solùm gratiam perficientem personas.

Alia testimonia S. Doctoris sunt; quibus is ait, B. Virginis carnem conceptam esse in Originali peccato. 3. p. q. 14. a. 3. ad 1. q. 31. a. 1. ad 3. a. 6. ad 2. a. 7. in sed cont. art. 8. ad 2. & alibi. Hæc loca non solùm nihil contra Piam sententiam faciunt; sed etiam plurimum juvant, & stabiliunt eam explicationem, qua sæpiùs hoc opusculo S. Doctoris loca contra Piam sententiam obiici solita explico: dicens; S. Doctorem locis illis, quibus asserit Deiparam conceceptam esse in peccata Originali, locutum esse de peccato, qua infectivo carnis, & naturæ; & exclusivo sanctitatis per originem transfusæ: non autem de peccato, qua infectivo animæ & personæ, & exclusivo gratiæ sanctificantis in primo instanti animationis propter merita Christi infusæ: quæ explicatio, ut firmiùs subsistat, expendam sigillatim quædam, è citatis S. Doctoris loca.

Quæ-

Quæstione ergo 14. concludit: defe-ctus corporales contraxisse Deiparam: quos (ut ait in c.) dicuntur illi propriè contrahere, qui ex Debito Peccati eos defectus incurrunt: vel qui eos habent, (ut ait in 3. d. 15. q. 1. a. 3. arg. 2.) ex ratione Originis, vel quibus debentur propter culpam Originalem, ut ait ibidem, in sed Contra secundò. Concludit, inquam, Deiparam tales defectus contraxisse ex hoc: quia caro ejus concepta est in peccato Originali: & Christum eosdem ideo non contraxisse; quia caro Christi, ex Virgine assumpta est, sine culpa, in illa puritate, in qua erat in statu innocentiæ. Nam, ut idem subtiliter observat in, 3. d. 3. q. 4. a. 1. c. *Etsi caro Christi secundùm quod fuit in patribus, & in B. Virgine, fuit peccato infecta, antequam assumeretur; ipsa tamen ejus assumptione ab omni infectione peccati purgata est: ita*, (ut addit ad ultimum) *caro Christi qua existens in Christo, nullo modo fuerit infecta, cum ejus assumptionem emundatio intellectione præcesserit*. Ex his pro allata explicatione, argumentor primò. Quod à S. Thoma redditur pro causa pœnalitatum tem-

po-

poralium, à B. Virgine contractarum earundemque à Christo non contractarum, hoc ab eo intelligi solet nomine Conceptionis in peccato Originali, Deiparæ ab eodem adscriptæ, & Christo negatæ: (non rarò enim S. Doctor infert, aliquem in peccato Originali esse conceptum, ex contractis pœnalitatibus; & 3. p. q. 68. a. 9. c. pueros peccatum Originale contrahere, probat ex hoc ipso, quòd sint subjecti mortalitati: quæ in omnes homines per peccatum primi parentis pertransit: & de Deipara, non præsumendus est in alio sensu locutus, quàm qui sit conformis iis, quæ de eius privilegiorum supra omnes sanctos excessu docet, locis adductis d. 1. c. 2.) Conceptio Carnis in Originali peccato, à S. Thoma redditur pro causa pœnalitatum à Deipara contractarum, & non à Christo. Ergo Conceptio Carnis in peccato Originali, intelligi solet à S. Thoma, nomine Conceptionis in peccato Originali Deiparæ adscriptæ, & Christo negatæ. Secundò sic: Idem est apud S. Thomam carere debito peccati, ex quo fluat necessitas contrahendi pœnalitates temporales; & carere pec-

cato Originali: (quia is in c. dicit: Christum non contraxisse hos defectus ex debito peccati: & ad 2. dicit eosdem non contractos à Christo: quia fuit sine peccato.) Ergo apud eum idem est Christum esse sine peccato, quod sine debito peccati. Ergo cùm alibi S. Doctor ait, B. Virginem puritate esse proximam Christo, per hoc eam solùm à puritate deficere Christi, intelligit: quod illa incurrerit debitum peccati, utpote concepta cum infectione Carnis, in animam eandem maculam derivaturæ, nisi gratia Christi muniretur: Christus autem liber fuerit ab omni debito peccati.

Tertiò, apud S. Thomam non solùm ji dicuntur peccare originaliter, & rei esse pœnalitatum peccati Originalis, qui peccatum Originale contrahunt; sed etiam qui habent debitum ejus peccati. Siquidem ideo Christus has pœnalitates non contraxit, quia caruit debito peccati. Ergo cum dicit, Deiparam conceptam in peccato Originali, ideoque factam ream pœnalitatum, præsumendus est non plus intellexisse, quàm conceptam esse cum debito peccati, ex infecta carne in animam derivandi, nisi

ſi accelerata Gratiæ ſanctificantis infuſione protegeretur. Jam vero q. 31. pluribus articulis ſolùm probat. Chriſti carnem non fuiſſe infectam, nec peccato obnoxiam: ideoque Chriſtum nec curatione indiguiſſe, nec in lumbis Abrahæ decimatum eſſe: contra verò, carnem B. Virginis fuiſſe infectam peccato (*quia caro humana peccato inficitur ex hoc, quòd eſt per concupiſcentiam concepta: & quòd, ut tota caro per concupiſcentiam concipitur; ita tota peccato inquinatur* 3.p. q.31. a.7.c.) fuiſſe item obnoxiam peccato, & in Patribus, & in ſe, ideoque curatione indiguiſſe: & in Abraham decimatam eſſe. Ex quibus confirmatur, quòd toties dico: S. Doctorem, locis objici ſolitis, tribuiſſe Deiparæ illud ſolùm peccatum Originale, quod eſt infectivum carnis: ordinariæ conceptionis modum neceſſario & inevitabiliter (ſiquidem etiam Chriſtus modo ordinario conceptus, illo infici deberet;) conſequens: non autem peccatum originale, animæ puritatis deturpativum, dicenſque abſentiam Gratiæ Sanctificantis pro primo inſtanti animationis: præſertim quòd his omnibus locis, originalis adſcri-

pti Deiparæ, negati Christo, non aliam S. Doctor afferat rationem, quàm quòd Christus fuerit conceptus ex Virgine: nec in Adam fuerit secundùm seminalem rationem, per quam Originale peccatum contrahitur: ait ibid. a.8. c. & q. 15. a. 1. ad 2. & quòd in Verbi Incarnati carne, primò, debuit immunitas ab ea damnatione apparere, 3. p. q. 27. a. 3. c. B. verò Virgo descenderit ab Adam, secundùm seminalem rationem: utpotè secundùm concupiscentiam concepta. 3. p. q. citata 31. a.7. & 8. Per hæc confirmatur, quod in secunda distinctione hujus opusculi probavi: statum quęstionis de Conceptione Beatæ Virginis, alium olim fuisse ab eo, qui nunc est. Quis enim nunc quærit? An caro B. Virginis fuerit concepta in originali peccato? de quo tamen sæpè disputat S. Doctor. Per hoc item defendi potest dogma S. Doctoris in 2. d. 31. q.1. a.2. c. & in sed cont. & in 2. Scripto. d. 31. a. 4. nemine sine peccato Originali nasci posse.

Dicet aliquis. Et in 3. p. q. 27. & in 3. d. 3. negat S. Doctor, carnem posse esse subjectum peccati. Ergo fal-

so

sò dicitur, eum illud solùm peccatum tribuisse Deiparæ, quod est infectivum carnis, nec enim dici potest peccatum, nisi quod inficit animam. Unde idem S. Doctor q. 5. de Malo a. 2. ad 7. ait: *Quamvis peccatum originale per carnem derivetur ad animam, non tamen habet rationem culpæ, nisi secundùm quod pertingit ad animam.* Confirmatur. Quia in 1. 2. q. 83. a. 1. c. dicitur: *Peccatum Originale omnium hominum fuit in ipso Adam ut in causa principali in semine, ut in causa instrumentali: sed sicut in subjecto, nullo modo potest esse in carne, sed solùm in anima.* Respondeo: hanc objectionem omnibus S. Thomæ discipulis solvendam esse. Certum est, S. Doctorem sæpiùs in 3. p. dixisse: Deiparæ carnem conceptam esse in originali peccato: non autem carnem Christi: quam phrasim fortasse accepit à S. Augustino, & à S. Ambrosio, citatis ab Illustrissimo Cardinali Cajetano: contra Piam Sententiam, in opusculo Leoni X. dicato. Certum item, quòd S. Doctor sæpè dicat, animam per corpus infici, quodque multas objectiones contra hoc solvat q. 4. de Malo a. 1. & 3. & alibi. Omnibus ergo expli-

can-

candum eſt , quomodò potuerit peccatum Originale inficere carnem nondum animatam ; & quomodò caro ejus concepta eſt in peccato originali , ſi hoc non poteſt tribui , niſi ſoli animæ . Libenter hic audiam doctiorum S. Thomæ diſcipulorum reſponſum . Ego pro mea tenuitate ; Adverto : S. Doctorem , rationem culpæ in peccato Originali , aliquando conſideraſſe per modum maculæ actualis , & tranſeuntis ; aliquando per modum maculæ habitualis , & permanentis . Rationem maculæ tranſeuntis , ponit in defectu originalis juſtitiæ : qui habet rationem culpæ , in quantum derivatur ex primo parente : 1. 2. q. 82. a. 4. vel ut eſt per voluntatem naturæ principii inductus : in 2. q. 1. a. 2. c. vel , quòd natura ſeminaliter recepta , eſt infecta infectione , quæ reputatur voluntaria propter ſui principium : q. 4. de M. a. 6. ad 12. in quantum Adæ voluntas reputatur noſtra : 3. p. q. 84. a. 2. ad. 3. Rationem verò maculæ permanentis , ponit in habitu , per vitiatam originem innato : 1. 2. q. 82. a. 1. ad 3. quem anima ex hoc contrahit : quòd ſit forma corporis

in-

infecti: Forma autem ſequitur modum materiæ: in ſecundò Scripto l. 2. d. 30. q. un. a. 1. ad 1. & 2. & alibi paſſim: non quaſi corpore agente in animam, ſed per quandam collimitationem unius ad alterum: quia forma recipitur in materia ſecundùm conditionem ipſius materiæ. in 2. d. 30. q. 1. a. 2. ad 5. Et quoniam peccatum eſt, non ſolùm cum non habet homo, quod debet habere: ſed etiam, cum habet, quod non debet habere: ideo hæc macula permanens, à S. Doctore aliquando explicatur per defectum ejus quod debet habere; ut ibidem: *Ex hoc ipſo*, inquit, *quòd corpus privatur illa virtute, qua perfectè erat ſubjicibile animæ, ſequitur, quòd etiam anima illa virtute careat, qua perfectè corpus ſubditum regat, & qua illud contineat immune à corruptione*, q. 4. de Malo a. 3. ad 4. aliquando explicatur per hoc, quod habere non deberet, & tamen habet, ut in 2.d.32. q.1. a.1. c. *Ex actu*, inquit, *naturæ, qui eſt carnis propagatio, relinquitur quædam diſpoſitio, inclinans ad malum, in ipſa natura geniti, quæ dicitur concupiſcentia vel fomes: & ex hoc ipſo, quòd illa naturæ corrup-*

ruptio, in se virtutem peccati, ex quo causata est, continens, personam attingit, ipsam indignam Dei gratia reddit: unde relinquitur macula, & defectus in anima. Fortassis ergo: peccatum originale sumptum pro ipsa non transfusione justitiæ in prolem, transfundi ex pacto divino in ipso actu generationis debitæ, includente habitudinem ad voluntatem primi parentis, per quam virtus transfundendæ justitiæ omnibus parentibus amissa est; habet rationem culpæ transeuntis, quæ saltem initiativè potest esse in carne: utpote, in quam primò justitia originalis debuit transfundi. Peccatum verò originale sumptum pro defectu recensitæ virtutis, & dispositione inclinante ad malum morale, habet rationem maculæ permanentis: cujus subjectum sola possit esse anima. Secundò dici potest: peccatum originale posse esse in carne, qua habet rationem culpæ virtualis, non in actu. Ita S. Doctor, in 2.d.31. q. 1.a.1.ad 4. *Quia per peccatum primi hominis, infectio consecuta est in tota natura humana; ideo ubi invenitur subjectum susceptivum culpæ, habet rationem culpæ in actu: ut in puero jam nato: ubi verò*

hec

hoc non invenitur, manet in tali infe-ctione virtus culpæ; ut sic causa culpæ esse possit. Simile quid dicitur q. 4. de Malo a. 2. c. Videtur ergo S. Doctor tribuisse carni Deiparæ, peccatum Originale sub ratione solius culpæ virtualis; qualem, Christum, si ex non Virgine conciperetur, fuisse contracturum; supra citatus censuit Nasarius: non sub ratione culpæ contractæ. Tertio & multò facilius dici potest: peccatum Originale sumptum initiativè & materialiter, posse esse in carne, non sumptum consummativè & essentialiter. Ita S. Doctor: in secundò scripto l. 2. d. 30. q. vn. a. 2. c. & d. 31. q. vn. a. 2. ad 2. *Concupiscentia*, inquit, *seu fomes, est peccatum Originale originaliter*: (id ego dico initiativè) *& materialiter, non consummativè & essentialiter*. illius subjectum esse potest caro: hujus sola anima.

Dicamus ergo: Deiparam, juxta S. Doctorem, habuisse peccatum Originale, sumptum initiativè & materialiter; id est, quatenus est infectivum carnis, & exclusivum sanctitatis vel justitiæ per originem transfusæ, inclusivumque debiti, maculæ in animam & personam derivandæ;

nisi

nisi Gratia sanctificans in primo instanti animationis infusa, hanc derivationem impediret: non consummativè & essentialiter: seu quatenus est infectivum animæ & personæ, & exclusivum Gratiæ pro primo instanti animationis: & ex hoc modo loquendi, non solùm à S. Thoma, sed & S. Augustino & Ambrosio, aliisque sanctis Patribus, contra Piam sententiam citari solitis, usurpato, concludamus; nunquam eos Piæ Sententiæ contradixisse: & Deiparæ præservationi à labe Originali, nunquam esse adversatos; sed solum voluisse, conceptam esse ejus carnem in peccato originali: seu habuisse peccatum Originale, non qua derogat puritati sanctissimæ animæ ipsius: nec quà pro ullo instanti existentiæ ejus, Gratiam Christi ab illa excludit; sed solùm qua est infectivum carnis, modo ordinario receptæ, cum habitudine ad voluntatem primi parentis, à quo ut à principio activo descendit: & qua exclusivum justitiæ, in eam à parentibus sanctis transfusæ: inductivumque proximæ necessitatis, contrahendi in anima peccati: nisi ea in primo suæ unionis instanti Gratia

Chri-

Christi muniretur, ne à carne infecta, per unionem cùm ea, inquinaretur.

Urgebis. Peccatum Originale, qua infectivum carnis non posset dici absolutè peccatum Originale. Ergo, si S. Doctor Deiparæ peccatum Originale solùm qua carnis infectivum tribueret, non posset absolutè dicere eam conceptam in peccato Originali quod tamen dicit. Respondeo primò: posse ad hoc dici, id ipsum, quod S. Doctor, cum sibi objecisset, q. 4. de Malo a. 1. ad hoc argumentum 13. *Anima, quæ in compositione hominis prædominatur, ex sua origine habet puritatem. Ergo licet caro ex sua origine aliquam impuritatem trahat; homo tamen debet denominari purus: cum denominatio sit à prædominante.* Respondet: *Dicendum: quòd bonum contingit ex integra causa: malum provenit ex singularibus defectibus: & ideo defectus, qui est ex parte corporis, sufficit ad integritatem humanæ naturæ tollendam.* Quam ipsam ob causam, nego antecedens: & obiter hic etiam adverto: peccatum Originale apud S. Doctorem nihil aliud esse, quàm impuritatem transfusam per Originem: quæ primò inficit carnem: infectione in animam,

quæ

quæ ex ſua origine pura eſt, devolubili; niſi Gratiæ ſanctificantis accelerato influxu impediatur. Reſpondeo ſecundò, diſtinguo antecedens: non poſſet dici abſolutè peccatum Originale; in eo ſenſu, in quo hac ætate ſumitur, Tranſeat: non poſſet dici eo ſenſu, in quo tempore S. Thomæ ſumebatur, nego. Ejus enim tempore peccatum originale ſignificabat defectum, vel non transfuſionem puritatis vel juſtitiæ per originem transfundi debitæ: ita ut hæc non transfuſio, ſiſtens in corpore, fuerit peccatum Originale initiativè: devoluta verò in animam & perſonam, fuerit peccatum Originale conſummativè & eſſentialiter.

Tertio: ſunt loca, quibus Deipara dicitur à peccato Originali ſanctificata & mundata ut 3. p. q. 27. a. 1. ad 3. & in 3. d. 3. q. 1. a. 2. ql. 2. ad 3. & locis ibidem in margine citatis: quæ ſufficienter explicantur, dicta eſſe in eo ſenſu, in quo tales loquendi modos ipſe S. Doctor explicavit. Oſtenſum autem eſt in hoc opuſculo diſt. 2. c. 4. confirmatione 3. quòd S. Doctor purgantem Gratiam in Deipara, aliquoties interpreta-

tus est, esse, præservantem: quodque eam dixerit ita purgatam esse à peccato; quomodo purgati Angeli: in quibus nulla impuritas fuit: 3. p. q. 27. a. 3. ad 3. & per gratiam dispositivam redditam esse idoneam matrem Dei: ibid. a. 5. ad 2. & castificatam ab omni sorde vitiorum, non per remotionem existentium, sed impedimentum futurorum: in 3. dist. 3. q. 1. art. 2. ql. 2. ad 2. & in secundo Scripto lib. 3. d. 3. q. un. a. 2. ad 2.

Hæc si testimoniis, quæ à Bergomensi contra Piam Sententiam, ex S. Thoma adducuntur, applicentur; facilè patebit, immeritò ea contra Deiparæ immunitatem à labe Originali, causatam per Gratiam Christi præservantem, afferri: cùm solùm faciant contra naturalem justitiæ, vel integritatis naturæ, à parentibus in prolem transfusionem. Videor tamen facturus operæ pretium, si quædam: quæ plus habent difficultatis speciali solutione solvero.

CA-

CAPUT QUINTUM.

Afferuntur, & solvuntur difficillima loca contra Piam sententiam ex Angelico Doctore afferri solita.

PRimus locus est in 3. d.3. q. 1. a. 2. ql.2. ad 3. *Dicendum: proprium fuisse Christo; nec actuali, nec Originali macula infectum esse: sed Virgo Mater ejus, fuit, quidem peccato Originali infecta: à quo tamen emundata fuit, antequàm ex utero nasceretur: quando autem determinatè emundata fuit incertum est:* ait ibidem a. 1.ql.1.c. Et in Quodlibetis, Quodlibeto 6. a. 7. *Est ergo ait, considerandum, quòd unusquisque peccatum Originale contrahit ex hoc, quòd fuit in Adam secundùm seminalem rationem: & ideo Virgo beata, quia nata fuit per commistionem sexuum, ut cæteri, concepta fuit in Originali peccato: & includitur in universitate illorum, de quibus dicitur ad Rom. 5. In quo omnes peccaverunt: à qua universalitate solus excipitur Christus, qui in Adam non fuit secundùm seminalem rationem.*

Hinc tria eruuntur argumenta. Primum est. S. Thomas ait: proprium fuisse Christo, nec actuali, nec Originali macula esse infectum. Ergo negat hoc ipsum convenisse Deiparæ. Secundum. Ait idem expressè, conceptam esse in peccato Originali, & inclusam in universalitate eorum, qui in Adam peccaverunt. Ergo ei negavit immunitatem à labe Originali. Tertium. à quo peccato mundata est, antequàm ex utero nasceretur: hoc habuit. à peccato Originali, teste S. Thoma, mundata est antequam nasceretur: ergo peccatum Originale, teste S. Thoma habuit.

Respondeo consequenter ad dicta: jam sæpius explicatum esse, quæ, immunitas à peccato originali fuit propria Christo: quæ scilicet includebat puritatem Originis, & puritatem carnis, virtute Spiritus Sancti ex purissima Virgine conceptæ: ideoque ex vi talis conceptionis excludebat maculæ in anima contrahendæ debitum: cui obnoxii sunt omnes quorumcunque anima unitur, vel unienda est carni acceptæ à parentibus, cum læsa naturæ integritate: & quæ ex vi ejusdem conceptionis includebat debitum

Gra-

Gratiæ ei infundendæ, juxta verbum Archangeli: *ideoque & quod nascetur ex te sanctum &c.* Talem immunitatem à peccato Originali fuisse propriam Christo fatemur: & cùm Deiparam, cum S. Thoma in 1. Sent. a peccato Originali dicimus fuisse immunem; dicimus esse talem, non ex vi suæ originis, vel conceptionis; neque ex vi carnis, cum debita naturæ perfectione à parentibus acceptæ; sed præcisè ex Christi Gratia præservante, & impediente, ne contagio à parentibus in carnem transfusa, in animam ejus & personam devolveretur; ne dedecus Matris derivaretur in prolem. In Forma; primi argumenti Distinguo Antecedens: censuit proprium esse Christo, in sensu convenienti ipsi Christo; Concedo: in sensu nullo modo conveniente Christo. Nego. nullo verò modo conveniebat Christo immunitas à peccato Originali; fluens ex præservante Gratia ipsius Christi. Quis enim dixerit. Christum se ipsum à labe Originali præservasse sua Gratia? & sui ipsius Redemptorem præservativum fuisse? Deinde quid Christo opus erat præservatore, qui solus, teste S. Atha-

nasio, sanctitatem simul cum natura suscepit? & qui jure ipso naturalis Conceptionis, quatenus S. Spiritus virtute conceptus est, ita fuit à culpa Originali liber; ut si eum unio Hypostatica liberum ab omni macula non redderet; vel si non esset Deus Homo; sola generationis ratio ab originali immunitatem ei tribueret? Concipi ergo, ex vi originis, immunem à labe Originali corporis & animæ fuit, proprium Christo; à Gratia autem Christi Redemptoris, quoad animam & personam præservari, esse proprium Deiparæ, non negat S. Doctor: imò hoc expressè in 1. Sent. profitetur, & alibi implicitè: cùm gravibus, & solidis argumentis omne à Deipara submovet peccatum. Proinde, Distinguo Consequens. negat hoc S. Doctor Deiparæ; in sensu soli conveniente Christo, Concedo: in sensu nullo modo conveniente Christo: sed ob maximas congruentias summè conveniente Deiparæ: Nego consequentiam. Secundum item Distinguo. ait conceptam esse in peccato Originali infectivo carnis cum debito infectionis derivandæ in animam, nisi Gratia Christi muniretur:

& ex-

& exclusivo sanctitatis per originem transfusæ. Concedo, in peccato originali infectivo animæ & personæ, excludenteque Gratiæ in primo instanti animationis infusionem: Nego. Similiter: idem S. Doctor, ait, inclusam Deiparam in iis qui in Adam peccaverunt, propter obnoxietatem contractam ex infectione carnis: sine qua à generantibus modo ordinario, salvo præsenti rerum naturalium cursu, concipi non potuit. Concedo: propter ipsum peccatum actu contractum. Nego. conformiter S. Synodo Triden. disertè profitenti, sess. 5. non esse suæ intentionis, in decreto universali de peccato originali, comprehendere immaculatam Virginem Mariam, Dei Genitricem: & Distinguo Consequens: non agnoscit esse immunem; Vi Originis à peccato, quà infectivo carnis, &c. Concedo: immunem ex vi Gratiæ Christi præservantis à peccato, quà infectivo animæ & personæ: Nego. in hoc enim sensu S. Doctor clarè professus est, Deiparam esse immunem à peccato originali: & puritate uni secundam Deo esse. Tertium solvitur in sequenti objectione.

Secundus locus est 3. p. q. 27. a. 2. ubi primo in Corpore concluditur: *B. Virginem sanctificatam esse post animationem: quia si ante animationem sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpæ: & ita non indiguisset Redemptore.*

Secundò ad 2. dicitur: *Si nunquam anima B. Virginis fuisset contagio peccati originalis inquinata; hoc derogaret dignitati Christi: universalis omnium salvatoris.*

Tertiò dicitur: ibidem: *B. Virgo contraxit quidem originale peccatum; sed ab eo fuit emundata, antequàm ex utero nasceretur.*

Quartò ad 4. dicitur: *Etsi parentes B. Virginis fuerint mundati à peccato Originali, tamen B. Virgo contraxit peccatum Originale: cùm fuerit concepta secundùm concupiscentiam.*

Ex hoc loco arguunt primò: S. Doctor dicit B. Virginem esse sanctificatam post animationem. Ergo censuit non esse sanctificatam in animatione. Secundò: S. Doctor dicit: quòd si B. Virginis anima nunquam incurrisset hanc maculam originalem, non indiguisset Redemptore, & derogasset dignitati Christi. Ergo censuit eam

sal-

ſaltem in prima animatione incurriſſe hanc maculam. Tertiò: S. Doctor ait B. Virginem contraxiſſe peccatum originale. Ergo juxta eum, non fuit immunis ab eo. Quartò. Dicitur ſanctificata antequàm ex utero naſceretur. Ergo non in animatione. Quintò Negat S. Doctor feſtum Conceptionis ideò celebrari, quaſi Deipara fuerit in ſua conceptione ſancta. Ergo negat fuiſſe ſine labe originali conceptam.

Reſpondeo: neque hunc locum dicere aliquid contra gratuitam B. Virginis præſervationem à culpa actualiter contrahenda. Solam enim hic ſanctificationem ante animationem, ſeu ſanctitatem ex vi originis, & conceptionis obtentam, independenter à meritis & Gratia Chriſti, Virgini Beatiſſimæ negat S. Doctor. Quod probo, primò ex titulo articuli. ſecundò ex omnibus objectionibus, quibus ſemper infertur; B. Virginem eſſe ſanctificatam ante animationem: undè cum dicit, eſse ſanctificatam poſt animationem: Tò poſt, non opponitur ipſi animationi: ſed ante animationi: de qua ſola in toto articulo diſputatur. tertiò ex probationibus S. Doctoris:

 qua-

quarum prima hæc est : Quamdiu quis non est capax Gratiæ Christi : non potest sanctificari à peccato per Gratiam Christi . Virgo Beata ante animationem non fuit capax Gratiæ Christi . Ergo nec potuit ante animationem sanctificari à peccato per Gratiam Christi . Secunda hæc. Quod non est culpæ obnoxium , non indiget Gratia Redemptoris . Virgo B. si quocunque modo ante animationem fuisset sanctificata . (id est uno è modis recensitis dist. 2. c. 2.) non fuisset culpæ obnoxia . Ergo Virgo B. si quocunque modo fuisset ante animationem sanctificata , non indiguisset Gratia Redemptoris . ubi indigentiæ Redemptoris negatio , non infertur ex sanctificatione in animatione ; sed ex sanctificatione ante animationem : per quam solam tollitur obnoxietas culpæ ; qua sublata tollitur totaliter indigentia Redemptoris . Quartò ex Conclusione Corporis . *Relinquitur*, inquit , *quòd sanctificatio Virginis fuerit post ejus animationem* : non ante ; quod ipsum quærebatur : quod in objectionibus inferebatur : quod in corpore negandum esse probatum est .

Notandum verò diligenter est; quòd

S.

S. Doctor hic in C. & ad 2. non dicat, si B. Virgo non incurrisset culpam originalem; nec, si non fuisset inquinata peccato Originali; sed, *si Nunquam incurrisset*, &, *si Nunquam fuisset inquinata*: per Tò Nunquam excludendo hoc ipsum tempus, de quo in articulo disputat. Nec enim dubium esse potest, in eodem sensu sumi hæc verba ad 2. & in c. Ergo cùm dicit ad 2. quòd B. Virgo non indiguisset Redemptore, si Nunquam culpa originali fuisset inquinata; idem est, ac si diceret: B. Virgini Redemptorem non futurum fuisse necessarium, si fuisset sanctificata ante animationem: ideòque nec culpæ originali obnoxia.

Confirmatur primo: vel apud S. Doctorem idem est, nunquam animam inquinari contagio peccati originalis; quod sanctificari ante animationem: vel non idem: si non idem; Ergo malè per hoc probatur, Deiparam non esse sanctificatam ante animationem: si verò idem; sic arguo. Adud S. Doctorem idem est, nunquam inquinari B. Virginis animam; quod carnem ejus ante animationem sanctificari. Ergo cùm ne-

gat, animam B. Virginis nunquam fuiſse inquinatam, ſolùm negat carnem ejus ante animationem eſse ſanctificatam. Confirmatur ſecundò: Eam hic ſolùm ſanctitatem negat S. Doctor B. Virgini, quam ſoli appropriat Chriſto: eam autem ſolam appropriat Chriſto, quòd (ut loquitur 3. p. q. 39. a. 6. ad 1.) Chriſti ipſa conceptio carnis, non carnalis, ſed ſpiritualis fuit: cum Virginis B. fuerit conceptio carnalis: ſeu quòd nullo modo contraxerit peccatum originale: nam neque in parentibus; quia conceptus eſt ex Spiritu Sancto, à Virgine penitus depurata à concupiſcentia, non ſolùm actuali, ſed & habituali; ut ſupra dixi; nec in conceptione activa; quia conceptus eſt ſine conſortio viri: nec in paſſiva, & ante animationem: quia caro ejus nullam habuit infectionem: utpote non obnoxia legibus, & oneribus poſterorum Adæ, ab eo activè deſcendentium: nec in animatione, quia peccatum originale in animatione contrahi nequit, niſi ab eo, qui habuit debitum ejus contrahendi ob naturam infectam acceptam ab Adamo, in quo primo infecta eſt: at

B. Vir-

B. Virgo, dicitur à S. Doctore, hoc peccatum contraxisse; & in parentibus; quia etsi sancti essent, non erat tamen in eis curatum vitium naturæ; quo obstante non poterant prolem concipere ex vi originis ab eis tractæ, sanctam; & in usu conjugii; quia hic, etsi liber esset à concupiscentia actuali, non tamen à concupiscentia habituali: & ante animationem; quia si ante hanc caro ejus libera esset ab omni infectione, non haberet debitum peccati originalis in anima contrahendi pro primo instanti unionis, ideoque non indigeret Gratia preservativi Redemptoris: ut quæ, vi exigentiæ, suæ originis, esset extra omne periculum servitutis & captivitatis peccati: animam immunem à peccato originali habitura, eo ipso; quòd infunderetur carni ab omni infectione puræ, ut patet ex Cajetano supra citato. Ergo S. Doctor etiam hic non negat, Beatissimam Dei Matrem esse à labe originali Gratia Christi præservatam. Atque hic obiter adnoto gratis quosdam opinari articulum hunc; *An Virgo Beatissima in sua animatione fuerit sanctificata*: & in 3. p. & in Sententiis, periisse. Quantum enim,

ex

ex continua S. Doctoris doctrina, assequi possum; non erat ejus instituto necessarius hic articulus. Intentio S. Doctoris erat: explicare Deiparæ sanctificationem, non exclusa indigentia Redemptoris: quòd adæquatè præstitit: cùm eam probavit non fuisse sanctificatam ante animationem: quia per hoc ipsum ostendit eam fuisse obnoxiam peccato originali: ideoque indiguisse Redemptore. Estque hic argumentorum ejus processus. Fidei articulus est: Deiparam indiguisse Gratia Redemptoris. Ergo ei ea sanctificatio neganda est, per quam fieret non indiga Redemptoris: jam quia Redemptoris non indiga, fieret; si Nullo Modo, vel si Nunquam incurrisset peccatum Originale: Nullo Modo autem, & Nunquam illud incurrisset; si esset ante animationem, vel ex vi suæ conceptionis sancta. Ergo ut ostenderetur Deipara indiga fuisse Gratia Redemptoris, non debuit dici ante animationem sanctificata, neque ex vi suæ conoeptionis sancta, sanctitate in eam à parentibus per originem transfusa. Quare cum S. Doctor satis explicasset in Deipara indigentiam

Gra-

Gratiæ Redemptoris per hoc ; quòd non erat ſanctificata ante animationem ; ideòque (ut hic expreſsè loquitur) obnoxia peccato originali eſset; non erat opus eum quærere ; an ſanctificata fuerit in animatione . Videturque hanc quæſtionem conſultò ſubterfugiſse S. Doctor: utpotè , (ut mihi videtur , in ſententiam tunc minùs communem , de præſervatione Animæ Deiparæ à labe Originali ſummè propenſus : à qua tamen tuenda , & clarè profitenda abſtinebat , tum ob ſingularem modeſtiam : tum ob S. Bonaventuræ , aliorumque Doctorum , qui tunc , cum ſententia communiori hanc præſervationem negabant , venerationem : tum ob Eccleſiæ Romanæ , quæ tunc feſtum Conceptionis tollerabat , non celebrabat ; cuique ipſe in omnibus erat obſequentiſſimus , authoritatem ; procul dubio , quod in 1. ſententiarum docuit , clarè etiam in Summa defenſurus , ſi eam , quæ nunc eſt , Romanæ Eccleſiæ , in Immaculatam Deiparæ Conceptionem , vidiſset ininclinationem ; aut etiam fortaſſis ideo ; quòd (ut refert Altiſiodorenſis) Mauritius Epiſcopus Pariſienſis;

graviter eo ipſo tempore perſequeretur eos ; qui docebant, B. Virginis conceptionem paſſivam fuiſſe immaculatam. Confirmatur tertiò : Hoc ſolùm S. Doctor hic ad 2. appropriat Chriſto, quod in Corpore negat Deiparæ, ſed in Corpore, ſolùm ei negat ſanctificationem ante animationem, qua extraheretur ex obnoxietate ad peccandum : ut patet legenti. Ergo & ad 2. hoc ſolùm appropriat Chriſto : & de hoc ſolo loquitur. vel ſic ; Illud hic non tribuitur Chriſto, tanquam proprium ; quod ei nulla ratione poteſt convenire. Sed animam ejus à labe originali per Gratiam Chriſti præſervari, non poteſt convenire Chriſto. Ergo hoc ei, non tribuitur hoc loco, tanquam proprium. Quod ergo ſine ulla derogatione dignitatis Chriſti, & cum ſufficiente indigentia Redemptoris ; tribuitur Deiparæ ; tanquam ei, quæ ad vincendum omni ex parte peccatum, plus, quàm omnes Sancti, Gratiæ accepit : non debet cenſeri ; hoc loco ei negatum ab Angelico Doctore. Jam in Forma ; Primi argumenti Diſtinguo Antecedens : Dicit eſſe ſanctificatam poſt animationem ; ut oppo-

ponitur ſanctificationi ante animationem: Concedo. (idque ſolùm ex totius articuli contextu colligitur:) ut opponitur ſanctificationi in animatione: Nego. ubi enim vel veſtigium hujus? Ad 2. Reſpondeo primò. meritò viros doctos vereri: ne hic ad 2. Tò Anima, irrepſerit pro Voce Carnis: alioqui videtur nulla ratione ſolvi argumentum, quod tale eſt. *Quæcunque major eſt ſub Deo puritas, ea teſte S. Anſelmo, tribuenda eſt Deiparæ. Sed major ſub Deo fuiſſet puritas, ſi ante animationem caro Deiparæ ſanctificaretur. Ergo ſanctificatio carnis ante animationem, Deiparæ tribuenda eſt.* Ita neceſsariò formari debet argumentum, ut impugnet intentum in titulo quæſtionis propoſitum; quia ſi poneretur hæc minor; *Sed major fuiſſet ſub Deo puritas, ſi anima ejus nunquam contraxiſſet peccatum originale*: inferretur Concluſio, non quæ deberet inferri: & quæ ſola ad propoſitum facit. *Ergo Deipara eſt ante animationem ſanctificata* ſed hæc. *Ergo anima Deiparæ nunquam contraxit peccatum Originale*: (quod neque propoſuit S. Doctor, neque infert: utpotè ad propoſitam quæ-

ſtionem nihil faciens: (ſi autem retineatur minor, quam poſui: patet aliud in ſolutione ſolvi, aliud proponi; & quòd aliud aſsumat ſolutio, quàm probet objectio; quia objectio dicit majorem ſub Deo puritatem Deiparæ fore, ſi caro ejus ante animationem ſanctificaretur: ſolutio autem omiſsa puritate Deiparæ, fluente ex ſanctificatione Carnis, procedit de ſanctificatione animæ. At, ſi in ſolutione, ponatur Vox Carnis; ſolutio expedita eſt: quia verè, ſi caro B. Virginis nunquam fuiſset contagio peccati inquinata, non eſset obnoxia culpæ: ideoque non egeret Gratia Redemptoris: & ſic derogaret dignitati Chriſti. Confirmatur primò Ita procul dubio in hoc arriculo loquitur S. Doctor ad 2. ut locutus eſt in Corpore. Sed in Corpore non eſt locutus de ſanctificatione hominis, vel animę; neque de culpa in animam devoluta; ſed de ſanctificatione carnis, excluſiva indigentiæ Redemptoris, ob excluſam obnoxietatem culpæ: ſeu ut ipſe loquitur de ſanctificatione ante animationem. Ergo ad ſecundùm loquitur de conceptione Carnis, non

de

de ſanctificatione hominis ; & de peccato , ſeu infectione carnis , trahente ſecum neceſſitatem , culpæ in animam derivandæ ; non autem de culpa , actu in animam devoluta . Confirmatur ſecundò , niſi fallor, efficaciter . Ita in hoc loco explicandus eſt S. Doctor , uti ſe locutum ipſemet , alibi explicavit : at is , hoc loco ſe locutum de conceptione carnis in peccato originali , expreſsè teſtatur 3. p. q. 31. a. 7. in ſed contra : ubi in eo : quòd dicit B. Virginis carnem conceptam eſse in peccato originali , ſe remittit ad q. hanc 27. a. 2. ad 2. ut adnotatur in margine . Ergo & hic totus articulus explicandus eſt de conceptione carnis infectæ , non de conceptione animæ , corpori quidem infecto unitæ ; ideoque contrahendæ culpæ obnoxiæ ; ſed per Gratiam Chriſti protectæ ; ne infectio carnis in eam derivaretur .

Reſpondeo ſecundò . Si revera retinenda eſt Vox Animę , (eò quòd efficacia objectionis poſſit adhuc ſalvari per hoc , quòd ſuppoſita ſanctificatione ante animationem , oporteat animam nunquam incurrere pec-

catum Originale : & tandem sequi quod dicitur ad 2.) adhuc adnotandæ sunt voculæ illæ, Nunquam, & Nullo Modo. An enim peccati originalis contrahendi plures sunt modi ? Ita omninò . quod non animadversum: fecit S. Doctorem Piæ Sententiæ adversarium. Contrahimus nos peccatum originale, & in conceptione carnis: & in conceptione hominis: ita ut præter infectionem naturæ, quàm ex vi originis concupiscentialis trahimus, etiam in primo instanti animationis incurramus, infectionem animæ & personæ, propter privationem justitiæ originalis, in nos ex pacto cum Adamo inito, transfundi debitæ, non suppletam, Gratiæ sanctificantis æquivalenti infusione. Virgo verò Beatissima, quia modo ordinario concepta est, contraxit etiam carnis infectionem, à tali modo conceptionis inseparabilem: & simul obnoxietatem; & proximam necessitatem contrahendæ maculæ in anima; corpori ita infecto unienda, nisi Gratia Redemptoris, in primo instanti ejus unionis, præveniretur: non tamen contraxit infectionem animæ & personæ, ob tempestivum præsen-

ſentis Gratiæ præſidium. Chriſtus verò, quia virtute Spiritus S. de puriſſima Virgine fuit conceptus, fuit ex vi ſuæ conceptionis ſanctus, nec contraxit carnis infectionem: quæ non contrahitur niſi ex concupiſcentiali deſcenſu ab Adam; qui hic non fuit: neque contraxit ullam obnoxietatem peccati in anima contrahendi, cum hæc neceſſariò præſupponat carnis infectionem. Atque ita Chriſtus & Nullo Modo, & Nunquam contraxit peccatum originale: quia nec ante animationem, nec in animatione: nec in cauſa: nec in effectu: nec quoad obnoxietatem; cùm tamen B. Virgo judicio S. Thomæ, non fuerit ſancta ex vi conceptionis, & ante animationem: imò ob carnem infectam à parentibus acceptam, fuerit obnoxia culpæ in anima & perſona contrahendæ: niſi Gratia Chriſti tempeſtivè infuſa præmuniretur. In Forma ergo. Diſtinguo Antecedens. Si anima B. Virginis Nunquam & Nullo Modo contraxiſſet; id eſt, nec ante animationem, quoad infectionem carnis, & obnoxietatem culpæ in animam derivandæ; nec in animatione, & quoad maculam in ani-

ma

ma contractam &c. Concedo Antecedens. Si non contraxisset in animatione, contraxisset tamen ante animationem, in subjecto, cui erat unienda; Nego Antecedens, & Consequentiam. vel clariùs: si anima B. Virginis Nunquam contraxisset &c. id est, nec in causa, nec in effectu, nec quoad actum, nec quoad obnoxietatem, nec quoad subjectum, nec in se ipsa: Concedo Anteced. Si anima B. Virginis peccatum originale nunquam contraxisset in effectu, nec quoad actum, nec quoad se ipsam; contraxisset tamen in causa, & quoad obnoxietatem: vel in subjecto, maculam, in Formam sibi unitam, nisi ea, Gratia Christi muniretur. derivaturo: Nego Antecedens, & consequentiam. Cùm enim hæc contractio fieri potuerit in causa, & in subjecto; fieri potuit ante animationem. Ad 3. jam dixi: non aliud peccatum à Deipara contractum dici à S. Thoma; quam per quod contraxit pœnalitates temporales: hoc autem q. 14. supra citata, ipsemet dixit, esse Carnem in peccato Originali conceptam. Stemus ergo S. Doctoris explicationi. Quarti

ti nego consequentiam : an enim animatio non præcedit nativitatem ex utero? Imò contra sic argumentor : cùm dicitur B. Virgo sanctificata, antequam ex utero nasceretur ; vel Tò antequam dicit immediatum tempus ante nativitatem, vel immediatum post animationem vel intermedium : si primùm ; B. Virginis sanctificatio inferior esset sanctificatione Joannis Baptistæ : vel Hieremiæ quod S. Doctor negat : si secundum, vel tertium : aut hoc dicitur assertivè, aut opinativè : assertivè id non dicit S. Doctor ; imo ait hic a. 2. ad 3. quia, quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur ; celebratur festum sanctificationis ejus in die Conceptionis : si verò dicitur id opinativè Ergo qua probabilitate ex S. Thoma inferunt aliqui, B. Virginem sanctificatam esse in momento consequente ejus animationem : eadem, & majori ego dicam, esse sanctificatam in instanti ipsius animationis; tum quia hoc consonum est doctrinę S. Doctoris, alibi dicentis, Deiparam fuisse immunem à peccato originali ; ejusque puritatem à puritate divina sola potentia peccandi fuisse inferiorem

asserentis: tùm quia idem, hoc ipso articulo, in sed contra, ait B. Virginem sanctificatam esse, postquam cuncta ejus perfecta sunt. nempe corpus & anima: sed hæc in ipso instanti animationis completæ perfecta sunt. Ergo Virgo Beatissima ex mente S. Doctoris sanctificata est per Gratiam præservantem in primo instanti animationis. Quinti explico antecedens: ut illud explicat ipse S. Doct. hoc articulo in argumento 3. Ergo, inquit, *videtur, quòd in ipsa Conceptione fuerit sancta: & ita quòd ante animationem fuerit sanctificata*. En apertè S. Doctor pro eodem sumit, esse in sua conceptione sanctam, & esse sanctificatam ante animationem: & apertè sumit conceptionem, ut subsistit in concepta inanimi carne. Distinguo ergo Antecedens: negat festum Conceptionis, ut ea dicit sanctificationem ante animationem; Concedo: (idque solùm ex totius articuli contextu colligitur:) ut dicit sanctificationem in animatione: Nego Antecedens, & consequentiam.

Hic me subsistere cogunt, Discursus in Litanias Lauretanas, Anno Domini, 1642. Parisiis editi: in quibus,

bus, Diſcurſu 223. aſſeritur: *Eccleſiam, ne celebrare Feſtum Immaculatæ Conceptionis, nec unquam Conceptioni apponere Vocem Immaculatæ.* Huic aſſerto, præter Catholici Regis Legationes, & Conceptionis Immaculatæ Solemnitates Viennenſes, Belgicas, Neapolitanas, Varſavienſes &c. &c. reclamant omnia Chriſtiana Regna: Religioſi Ordines ferè omnes: Academiæ: Collegia: Civitates: Equeſtres Ordines: Confraternitates: quorum, & quarum ſenſus communis eſt; Orbem Chriſtianum, Feſtum Conceptionis B. V. Deiparæ, eo ſolo fine celebrare: ut teſtetur, ſe credere, Deiparam à labe originali Gratia Chriſti Redemptoris præſervatam eſſe.

Reclamant item SS. Pontifices. Nam, teſte Hippolyto Marratio, in libro de Pontificibus Maximis Marianis, cum approbatione Reginaldi Lucarini S. P. A. Magiſtri, Romæ edito; Adrianus IV. de Immaculata Conceptione B. V. ad Petrum Pontiniacum, librum ſcripſit, Innocentius VII. Joannem Monteſonum, qui in concione docuerat, B. Virginem in peccato fuiſſe con-

ceptam, urgente Parisiensi Academia, ad palinodiam canendam coegit. Alexander V. ante Pontificatum, Purissimam Conceptionem calamo defendit: Pontifex factus pro eadem, Constitutionem Apostolicam edidit: ut & Nicolaus V. Multò fortiùs eandem defendit Sixtus IV. qui in suis Bullis, Officium Leonardi Nagaroli, & Missam, in quibus B. V. Deiparæ Immaculata Conceptio, & à labe originali præservatio, & immunitas, disertissimè nominantur aliquoties, honorificè approbavit: omnesque ad eorùm usum, multis indulgentiarum præmiis invitavit. & Cap. *Grave nimis*, reprobavit eos: qui dicerent; peccare graviter, Immaculatæ Conceptionis Officium recitantes: vel dicentes; B. Virginem esse sine macula conceptam: vel (ut infra dicitur) ab originalis peccati macula in sua Conceptione præservatam. Quas ejus Constitutiones Innocentius VIII., & Alexander VI. confirmarunt: & Sanctimonialium Immaculatæ Conceptionis Religionem, sub Sixto IV. inceptam, per Hispanias latissimè propagarunt.

Ean.

Eandem Religionem. Julius II. confirmavit: regulamque ei præscrippsit: in cujus cap. 2. hæc professionis norma assignatur. *Ego N. ob amorem Domini Nostri, & Immaculatæ Conceptionis, ejusdem Genitricis, voveo &c.* c. 3. dicitur, *B. Virginis anima à creatione sua tota sancta &c.* & cap. 4. vocatur *Purissima Conceptio*: & cap. 14. præcipitur Monialibus frequens recitatio Officii Leonardini. Denique multas Indulgentias dedit Castellanis: qui in pectore Imagines Immaculatæ Conceptionis ferrent. Leo X. in ejusdem Conceptionis honorem, multa Templa extruxit: multasque Indulgentias contulit, Festum ejusdem celebrantibus: & imagines deferentibus. Adrianus VI. approbavit fundatam Toleti, in honorem Immaculatæ Conceptionis, Confraternitatem: in cujus Legum cap. 15. jubetur celebrari festum S. Annæ; *ut memoria habeatur, Purissimæ Conceptionis, Ejus, Filiæ: in cujus ventre fuit Anima Mariæ creata, in majori gratia, quàm Cherubim & Seraphim, qui cum natura gratiam acceperunt.* Clemens VII. Immaculatæ Conceptionis Of-

ficium, ſcriptum à Franciſco Quinnonio Cardinali, clarè Piam exprimens ſententiam, approbavit: & favores, Monialium, Immaculatæ Conceptionis confirmavit. Quod ipſum fecere; Paulus III. Julius III. Paulus IV. Pius IV. qui etiam, cum Patribus Tridentinis, negarunt: ſuæ intentionis eſſe, B. Virginem ſub lege communi de contrahenda labe originali, includere: eodemque tempore, cum eiſdem Patribus, conſtitutiones Sixti innovando: teſtati ſunt: ſe de feſto Immaculatæ Conceptionis, id ſenſiſſe; quod ſentiendum, in Officio à Sixto IV. approbato, & toto tempore Concilii Tridentini, in Feſto Conceptionis recitari ſolito, præſcribitur. Pius V. confirmatis Sixti IV. legibus, Feſtum Conceptionis toto Orbe celebrari juſſit: ut jam à nemine reſpui poſſit: & eò certitudinis (ſaltem virtualiter) extulit Immaculati Conceptus veritatem, nemo ut negare poſſit, celebrari ab Eccleſia Feſtum Immaculatæ Conceptionis; qui ab ea celebrari Feſtum Immaculatæ Nativitatis agnoſcit. Utrique enim Feſto commune eſſe Officium voluit

Pius

Pius V. Quare si verba illa: *Gloriosæ Virginis Mariæ ortum dignissimum recolamus* &c. & illa; *Quicunque celebrant tuam sanctam Nativitatem*, significant immaculatam Nativitatem, necessariò & irrefragabiliter, verba eadem, Conceptioni, Mandato Apostolico, ab Ecclesia applicata, & in Festo Conceptionis cani solita, significant Immaculatam Conceptionem: ut videatur occultè & virtualiter innuisse Pontifex; in eo ipsissimo sensu celebrari Festum Conceptionis, in quo celebratur Festum Nativitatis: siquidem nemo dubitare possit, verba illa; Dignissimam & Sanctam, non in alio sensu in Festo Conceptionis cani; quàm, in quo canuntur in Festo Nativitatis. Quocirca aut in Officio Ecclesiastico, nullum habemus indicium Immaculatæ Nativitatis; aut si Immaculatio significatur per verba illa, *Sanctam*, *Dignissimam*, necessariò per eadem significatur Immaculatio Conceptionis. Atque ideo hìc sisto: neque alia Immaculati Conceptus à summis Pontificibus Gregorio XIII. Sisto V. Clemente VIII. Paulo V. Gregorio XV. Urbano VIII.

afferti argumenta refero . Sufficiat: quòd ita canat Ecclefia , Sanctam & dignissimam Conceptionem , ut canit Sanctam & dignissimam Nativitatem : & quòd disertè à Sixto IV. aliisque Pontificibus , qui Religionem Immaculatæ Conceptionis vel instituerunt vel approbarunt , expressissima Immaculatæ Conceptionis mentio sit facta : in quo ipso sensu Sixtus IV. Conceptionem hanc dixit esse miram : nam si quod in Discursu dicitur , mira dicta esset ideo ; quòd è sterilibus parentibus, motu Dei orta sit : causa nulla esset, cur etiam Isaaci conceptio non deberet dici æquè mira : & æquè honoranda . Denique post rejectam sanctificationis vocem , & determinatè imperatam vocem Conceptionis , quid dubii potest superesse de sensu Ecclesiæ , in celebratione hujus Festi ? Omnia regna Christiana personat Immaculata Conceptio , tanta hominum quorumvis statuum devotione ; ut non videam ; quid ei solemnitatis per Definitionem accedere possit ; nisi quòd nemini amplius fas sit futurum de Immaculata B.V. Deiparæ Conceptione dubi-

bi-

bitare. Nunc Ecclesia benignissimam imitata Matrem, ad amandum, quod amat ipsa, charissimos filios præmiis invitat: eo ipso testata, id sibi cordi non esse, cui lucem publicam negat: & cui amando, nulla proponit præmia. Communi suorum membrorum sensui contradicentes, sensim persuaderi vult, non cogi: teneriùs amatura Filios, qui Matri maluerint parere annuenti, quàm imperanti.

Tertius locus est in 3. d. 3. q. 1. a. 1. ql. 2. ubi dicitur Deipara, *neque in ipso instanti confusionis, vel infusionis, sanctificata: ut scilicet per Gratiam tunc sibi infusam conservaretur: ne culpam originalem incurreret, quia secus Redemptione non egeret.* Ex quo infertur: S. Doctorem negasse Deiparam in primo instanti infusionis, vel (uti scribitur in 3. argumento) confusionis, esse præservatam à peccato originali per Gratiam tunc infusam. Respondeo primò, hoc solo loco, multas me habere dubitandi rationes, an non ea verba *neque in ipso instanti* &c. ex margine in textum irrepserint: quod etiam in editionibus sacrorum Bi-

bliorum, & sanctorum Patrum solere contingere, docent interpretes, & experientia. 1. quia processus quæstionis solùm est: *An Beata Virgo fuerit sanctificata ante animationem*: ut patet, ex duarum quæstiuncularum conclusionibus, quas infert S. Doctor tam in suis probationibus, quàm in opponentium argumentis. 2. ex universali resolutione quæstionis, in qua concluditur; B. Virginem non fuisse sanctificatam ante animationem: quia sanctificari per Gratiam Christi non potuit, quando Gratiæ capax non fuit: ante animationem autem capax non fuit: ubi nullam facit mentionem sanctificationis in animatione, in qua proculdubio capax Gratiæ fuit: cùm nihil impediat, quominus alicui simul cum natura Gratia infundatur: ait S. Doctor in 2. d.29. q.1. a.2. ad 3. 3. quia in resolutione primæ quæstiunculæ a.1. ad 3. B. Virginis in peccato originali conceptionem, refert in eam solam causam? *quia in ejus parentibus non fuit curatum vitium naturæ; quod etsi curari potuit, non tamen decuit: ideo, quòd perfecta naturæ curatio ad gloriam pertineat*: quæ ratio nihil facit contra

tra

tra ſanctificationem animæ per Gratiam Chriſti. 4. quia in ſolutione tertii, ubi omninò reſpondendum erat huic illationi, *aut ergo ſanctificata fuit ante animationem, vel ſaltem in ipſo inſtanti confuſionis &c.* nihil ad ſecundum membrum reſpondetur. Ergo, hoc, quod ſubticet S. Doctor, aut ſilentio tanquàm veriſſimum approbat, aut ejus textui, neque in argumento, atque in Corpore inſertum eſt, nam poſcebat omninò argumenti altera pars, ut redderetur ratio, cur Deipara non fuerit in inſtanti animationis ſanctificata per Gratiam: cùm ſanctificationis per eam, tunc fuerit capax, neque per ejus infuſionem excluderetur indigentia Redemptoris: quam S. Doctor non ſolùm peccato contracto, ſed etiam obnoxietati ejus contrahendi tribuit: ut vidimus ſupra. Ergo cùm nihil ad hoc S. Doctor reſpondeat; aut etiam hìc Piam ſententiam de Deiparæ ſanctificatione in animatione eſt profeſſus, ipſo ſilentio, & præteritione ſolutionis argumenti: aut locus non poteſt carere ſuſpicione ſubreptionis.

5. Ipſi modi loquendi non ſapiunt

elegantiam Doctoris Angelici. Quid enim est *instans confusionis*? non hoc redolet confusionem? quid *conservari per Gratiam*? *Præservari per Gratiam* scio aliquoties locutum S. Thomam: conservari in eo sensu, in quo hic ponitur, non memini me apud eum legisse, & verò conservari dicimus præhabita: præservari autem ab eis, in quorum periculo sumus. Ipsi ergo modo loquendi, tam in additione argumenti tertii, quàm in Corpore, Typographum faciunt suspectum. Si tamen textus omninò incorruptus est; Respondeo secundò: fortasse ibi intelligi, instans confusionis seminum: quod, si admittatur, nihil facit contra Piam Sententiam: sed tantùm dicit: Beatissimam, ante suam animationem, non esse præservante gratia sanctificatam. Respondeo tertiò ita fortasse hìc locutum esse S. Doctorem de Beatissima Virgine, ut in Secundo Scripto l. 3. d. 43. q. 4. jam supra citata, locutus est de Christo. Ut ergo ibi dicit; emundationem carnis Christi, intellectione præcessisse ejus assumptionem: & ideo carnem Christi, etsi in Patribus, & Sanctissima

Ma-

Matre fuerit obnoxia peccato, in ipso Christo ab omni labe fuisse purissimam: ita fortè voluit; quòd in B. Virgine infusio animæ, intellectione, vel (ut nunc loquimur) prioritate naturæ, præcesserit ejusdem per Gratiam sanctificationem. Quod ut intelligatur; Advertendum est (quod, jam plures hujus Materiæ scriptores, docuere:) hominem prius natura habere esse hominis, quàm esse sancti, vel peccatoris: substantia siquidem hominis, habet se ad sanctitatem & peccatum, ut subjectum ad Formas Accidentales. Quia verò, omnes, modo connaturali descendentes ex Adam, habent hoc debitum, ut per Obedientiam primi parentis, in se transfusam habeant puritatem: inde fit, ut in eo ipso instanti, in quo aliquis naturaliter conceptus ex Adam intelligitur esse homo; simul etiam intelligantur causæ ita esse dispositæ; ut ex illis in secundo naturæ instanti, defluxura sit in animam peccati Originalis macula, nisi supernaturaliter impediatur, ut potest impediri. Jam quoniam, si Adam non peccasset; in secundo instanti naturæ, in prolem sanctitas

transfunderetur; & ad dispositionum connaturalium congruentiam infunderetur Gratia; inde fit: ut Deus in eodem instanti, possit alicui liberaliter & ex Gratia, infundere sanctitatem: & sic prævenire animæ maculam: impedireque causas creatas; ne in animam & personam, macula originis ex carne infecta, in animam & personam, per unionem cum tali carne, devolvatur: alioqui stante ordinario rerum naturalium cursu necessariò devolubilis.

Advertendum secundò: quòd, in omni contrahente peccatum Originale, priùs natura præcedit obnoxietas & debitum ejus contrahendi: non potest autem quis realiter subjacere huic obnoxietati, nisi sit naturaliter descendens ab Adam, cum debito habendi justitiam Originalem: ex quo fit; ut prius natura debeat intelligi homo naturaliter descendens ab Adam, & filius Adæ, subjectus debito & necessitati contrahendi peccati, quàm intelligatur reipsa contraxisse peccatum: & proinde ut non pro eodem instanti naturæ cogitatur aliquis peccator, pro quo cogitatur homo & filius Adæ: & consequenter,

ter, ut in omni originaliter peccante, prius natura sit esse hominis, & filii Adæ obnoxii contrahendo in anima & persona peccato; quàm ipsum actu contractum peccatum. Potest ergo S. Doctor etiam hoc loco ita explicari: quòd in ipsa unione, & infusione animæ, agnoverit in Deipara, prius fuisse, hominis esse, &, esse personæ obnoxiæ contrahendæ originis maculæ; quàm infusionem Gratiæ: quæ non nisi in secundo instanti naturæ infusa sit: nullo modo tamen probari potest. S. Doctorem sensisse, in animatione Deiparæ, priùs tempore, ab ejus anima peccatum fuisse actu contractum, quàm ei infusa fuerit Gratia sanctificans. Quocirca hoc instans Confusionis, vel potiùs infusionis, non est censendum esse instans temporis, sed naturæ: atque ita nihil contra Piam Sententiam facit; præsertim quod nullibi de hoc S. Doctor ex professo egerit: nullibi id docuerit per se; nullibi probaverit: nullam, quæ in contrarium afferri possit, objectionem solverit: sed (si hæc verba ejus sunt, quæ ex 3. dist. afferuntur) dicta sunt obiter: per accidens & per modum accessorii

incidentis: ut ideo videantur posthabenda, clariori Doctoris Angelici Doctrinæ; qui alicubi clarè profitetur, Deiparam ita fuisse immunem, & ita puram à peccato originali & actuali; ut sola potentia deficiendi, puritate Divina fuerit inferior: alicubi multis & solidis rationibus, omne ab ejus anima submovet peccatum: alicubi ex professo probat, illud solùm peccatum contractum esse à Deipara, quod non per Gratiam tempestivè infusam, sed per solam sanctificationem ante animationem, per naturæ integritatem parentibus restitutam, vel supernaturalem conceptionem, erat impedibile: quod scilicet sit infectivum carnis, cum proximo & necessario periculo inficiendæ animæ; nisi ea Gratia Christi tempestivè infusa præmuniretur: & solùm negat Deiparam esse sanctificatam ante animationem; sanctificatione tollente peccati in animam transfundi obnoxietatem: & indigentiam Redemptoris etiam præservativi: ut patet attentè legenti, q. 27. a. 2. in Corpore. Denique si S. Doctorem Piæ sententiæ adversarium faciunt hæc tria loca; (cætera enim,

quæ

quæ ſunt de concepta eius carnem in peccato Originali, Piæ Sententiæ non adverſatur; quæ autem generaliter dicuntur, jam ab ipſis adverſariis Deiparam non includere ſcribuntur: (multò juſtiùs facient eundem, Piæ Sententiæ Patronum, ea omnia, quæ 1. & 2. Diſtinctione adduxi.

CONCLUSIO.

HIc jam benevolum judicem appello: ut ſemoto tantiſper inolitæ perſuaſionis præjudicio, judicet: an veriſimilius probent aliqui; S. Doctorem negaſſe, B. Virginem fuiſſe à labe Originali per Gratiam Christi in primo inſtanti animationis infuſam præſervatam: cenſuiſſeque, ejus animam, in primo ſuæ infuſionis inſtanti Gratia ſanctificante caruiſſe: quàm ego probaverim oppoſitum. Satis profectò clarè videor oſtendiſſe; S. Doctorem locis aliquot explicitè, patrocinatum eſſe Piæ ſententiæ: eamque eundem temporibus S. Bonaventuræ, in ſcholis defendiſſe,

videor item ſatis oſtendiſſe; S. Doctorem nullibi eam prærogativam Deiparæ negaſſe: nullibi contra eam diſputaſſe: ſolam ei, ad ſummum, carnis infectionem, ab ordinario conceptionis modo inſeparabilem, cum neceſſaria obnoxietate maculæ in animam devolvendæ tribuiſſe: ſeu; quod idem eſt, ſolam ab Ea excluſiſſe ſanctitatem, quæ ex vi Originis à parentibus acceptæ, independenter à meritis Chriſti, non ſolum animam ejus à culpa Originali redderet immunem; ſed & carnem ab omni infectione, & obnoxietate maculæ in animam derivandæ, extraheret: ſanctitatem inquam; quam ſolus Chriſtus, non ex Gratia præſervante; ſed ex vi originis admirandæ habuit: eam ne ipſe quidem habiturus, ſi ſecundum naturalem originis modum fuiſſet conceptus. Cum igitur, Sanctificationem Præſervativam Deiparæ; Eccleſia Immaculatæ Conceptionis titulo inſignierit; cauſa nulla eſt, quin jam Angelici Doctoris diſcipuli, ex mente ſui Sanctiſſimi Magiſtri, tueantur Beatiſſimæ Virginis, Immaculatam Conceptionem: eodemque modo ſanctos Patres in

contrarium citari ſolitos explicent: eos præſertim qui contractam originis labem, non animæ tribuunt Deiparæ, ſed Corpori vel carni. His minimo Angelici Doctoris diſcipulo, pro honore Sui Sanctiſſimi Præceptoris aſſerendo, ſuffecerit præluſiſſe: & ſapientibus, veritatis altiùs perſcrutandæ, occaſionem dediſſe.

Faxit Deus: ut quamprimum, & Angelicum Doctorem, clariſſimum Theologiæ Scholaſticæ ſolem, à vulgatæ perſuaſionis macula: & Glorioſiſſimam Dei Matrem totius Eccleſiæ conſenſu à Primigenia culpa vindicatam gaudere poſſimus: ſummæ, tòtius fere Chriſtiani populi, expectationi, diu deſiderato accedente calculo, illuſtriſſimæ & doctiſſimæ Patrum Predicatorum Familiæ: à cujus aſſenſu Virgo Beatiſſima ſui Immaculati Conceptus definitionem ſuſpendiſſe videtur: eò quòd fortaſſe, ſuffragio eorum, quorum induſtriæ, ſuos longè lateque propagatos honores, & titulos altiſſimos debet; hunc quoque titulum Immaculate Conceptæ debere decreverit.

Cæterùm, ſi quid, non tritam ingreſ-

greſſo viam excidit ; quod Sacroſanctæ Eccleſiæ Catholicæ, imò cuicumque docto, & honoris Beatiſſimæ Virginis Deiparæ ſtudioſo Lectori diſpliceat ; mihi quoque jam nunc diſplicere profiteor : & indictum volo.

A.M. DEI G. & I. C.
DEIPARÆ H.

* * *

INDEX CAPITUM.

DISTINCTIO PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

DI-

DISTINCTIO SECUNDA.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

CAPUT QUARTUM.

DI-

DISTINCTIO TERTIA.

F I N I S.